

assensio tripartito illi foederi inter Germaniam, Italiam et Iaponiam inito, de quo suo tempore mentionem fecimus.

Explicit sic inter belli furores annus MCMXL, neque ullus est qui novi ordinis constituendi, qui firmam pacem in Europa hac nostra sit allaturus, nendum fundamenta ponat, sed tantum adumbret; nemo, nisi Summus Christianae Ecclesiae Pontifex, qui, verae pacis Principis Vicarius, supraque hominum cupiditates positus, Sacrum Purpuratorum Senatum in pervigilio Dominicanae nativitatis alloquens, quinque hisce capitibus victoriam genuinae pacis administram, enuntiavit:

Victoria primum de odio, quod hodie populos dividit: abdicatio itaque a rationibus actionibusque, a quibus illum continenter alitur, ignem illum fraternae charitatis restinguens, quem Christus mittere in terram venit.

Victoria deinde de diffidentia, quae quasi pondus extenuans iuri internationali incumbit, infectamque redolet veram quamlibet concordiam: redditus itaque ad monitum illud: *Iustitiae soror incorrupta fides*, ad fidem illam in pactionum religionem, sine qua tuta populorum, tum potentium tum debilium, cohaesio impossibilis evadit.

Victoria de funesto illo iudicio, utilitatem esse iurium fundamentum ac regulam, iusque vi creari; qua quidem ratione communitas quaeviis ac societas vita labilis fit; redditus hinc pro nationum consortio ad gravia summaque illa morum praecepta, quae tamen neque inquisitionem honesti utilis, neque opportunum atque legitimum vis usum excludunt, ad pacifice iura tutanda per vim correpta, aut eorum vulnera sacerienda.

Victoria de germinibus illis conflictationum, quae in campo omnium gentium oeconomiae rei discrepancias dissonas nimis efficiunt; hinc actio per gradus, et con-

gruentibus obligationibus librata, unde tandem rerum status componatur, qui omnium gentium civibus cuiusque ordinis aequam vitae rationem in tuto ponere valeat.

Victoria denique de nimio amore sui, qui vi suae praefidens, facile non minus rerum publicarum honorem imperiumque, verum etiam iustum, sanam, modestamque civium libertatem laedit. Eius loco ingenua sponsio iuridica oeconomicaque, opera socia, fraterna, iuxta legis divinae praecepta, excipi debet inter populos, certos factos suorum iurium suaque libertatis.

Faxit Deus ut haec monita, Eius ipsius afflatus perculta, in populorum rectorum animo alte insculpantur, qui universo terrarum orbi illam ordinis tranquillitatem, ab omnibus exoptatam, in iustitia tandem et charitate feliciter quoctius appotent.

POPLICOLA.

FABULAE

LUPUS ET VULPES

Gladio trucidat ingluvies plures edax.
Lupus atque Vulpes in cellam penariam
Fame compulsi intraverant foramine
Exiguo muri nocte, dormiente hera.
Lacticina et cassam multa in alvum truserant.
Anceps cuniculum ingressa tum vulpecula,
Ut sensit vix foras se posse evadere,
Scite prodivit et voracem deserit.
Qui intaminatum cum liquisset nil gulo,
Dum quaerit exitum, haesit in foramine
Clamorem et coepit ore stultus edere.
Expergefacti rusticus, servi, canes,
Illo concurrunt et rapacem dant neci.


M. GINOTTA.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



VARIA

Admodum periculosum esse urbis moderatori, si antiqua odia novis iniuriis subinde renovet.¹

Periculosum est Reipublicae quum novis suppliciis veterum iniuriarum redintegratur memoria; quemadmodum Romae factum est, quum plebs, decemviris deiectis, tribunitium auxilium recuperasset. Nam et decemviri omnes, et cives insuper alii sensim damnati fuerunt, ut ingens metus patres incesserit, neque tribunos iam alter, quam prius decemviros formidarent. Quae res magnum Reipublicae periculum certe peperisset, nisi M. Duellius tribunus plebis, inhibito salubriter modo nimiae protestatis, finem suppliciis imposuisset; is enim edictum promulgavit, ne eo anno cuiusquam amplius diem dicere, aut in vincula quemquam conicere liceret, eaque moderatione patribus metum dempsit. Atque hinc cognoscere licet, quam periculosum sit, quum in libera civitate administranda, tum gubernanda monarchia, si subditorum animi perpetuo suppliciorum metu solliciti sint; quod hinc ad varias cognitiones atque consilia de conservandis se et rebus suis moveantur, audacesque fiant, minusque horreant etiam gravissima facinora patrare. Quod si ergo huiusmodi motus aliquando oriantur, eos sedare oportebit, aut absque caede et sanguine ullo, aut si plane fieri nequeat, quin de quibusdam supplicium sumendum sit; in id certe incumbendum, ut simul et semel puniantur omnes, quos puniri oportet, et postea quieti operam dare, ut placentur hominum animi, tutique a periculis esse videantur.

Lepus et Vulpes

Anteponebat se Vulpi Lepus, cui pedum perniciitate praestaret. At Vulpes dicere, se

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

ingenio vincere, cuius esset multo et frequentior et praeclarior usus, quam pedum.

Fabula docet corporis maximas dotes cum minimis animi dotibus comparari recte non posse.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Pastilli ad Bononiensem morem.

Dentex aceto conditus.

Cerebra vitulina fricta.

Anaticula variis oleribus farta.

Liquamen ex prunis armeniacis.

Locosa

TUCCIU nummum libellae unius in terra invenit, atque tradere festinat Matri, quae gaudens:

— Tene tibi — inquit — in honesti animi tui praemium.

Post paucos dies Mater TUCCIO:

— Libellas decem perdidit; numne, Tucci, per domum tu invenisti?

— Inveni quidem, in culina.

— Ecquid non tradidisti mihi?

— Atqui retinui in honesti animi mei praemium!

TUCCIU in schola.

MAGISTER: — Quae maxima obiicitur difficultas septentrionalis axis exploratori?

TUCCIU: — Reditus in patriam!

Aenigmata

I

Curtus sum gladius, lunae curvatus ad instar.
Muta vocalem: lanx fero sacra diis.

II

Bestia sum mitis: tibi me mulcere licebit.
Principium demis? Me cave! Praevaleo.

FR. PALATA.

Aenigmata in fasciculo mens. Decembris MCMXXXX proposita his respondent:

1) *Funda*; 2) *Mutus*, *Tutus*.

Ann. XXVIII

Romae, mense Ianuario MCMXLI

Fasc. I



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

“ALMA ROMA” IN ANNUM MCMXLI

Annus vitae nostrae duodetrigesimus, cui hodie facimus initium, heu! tristibus auspiciis nobis obiicitur, dum furor late arma ministrat atque certamen fit, ex quo qui victor discesserit, non minus quam victus, crebro vulnere fuerit consauciatus. Quin imo commercia non bellantium modo, sed eorum etiam, qui neutri parti favent stantque in conflictatione medii, interrupta, eversa, obtrita sunt; ipsarum epistoliarum commercia, ita ut vox quoque Aliae huius Matris Romae nisi intra angustissimos fines audiri possit. Sunt enim a nobis omnino seiungi utriusque Americae socii, et Africanae et Australianae terrae, et praeter Iaponiae et Sinarum, Asiaticae; quae denique in Europa nationes restant, ad quos Commentario nostro pervenire liceat? In acerbis hisce rerum adiunctis non semel in dubium vertimus num conticescere praestaret novum ordinem venturum exspectantes; repetentes vero quot laboribus et difficultatibus per vitae nostrae cursum nobis occurredum fuit, quomodo ea superaverimus, at maxime verba, quibus Pius Pp. XII in colloquio, quod nobis benigne concessit,¹ futura certa praesentiens, quasi peculiare munus fidei nostrae credebat, curandi nempe ne latinitatis ignis extingueretur, quippe nostrum praecipue

¹ Cfr. ALMAE ROMAE fasc. mens. Februarii MCMXL.

esset eius alendi flamمام, dubitationem omnem exemimus et in loco firmiter pro viribus persistere, materiamque sacro illi igni sine ulla intermissione praebere deliberavimus.

Cui tamen officio perficiendo nos impares sentiemus nisi sociorum favor operi nostro succurrat; qui itaque fideles nobis tot annos perstiterunt necesse est non modo arctius nobiscum vinciantur, sed socios novos adducant, qui agmina corroborent, nudaque, ut ita dicam, quae facta sunt subsellia, occupent.

Quod autem ad consociationem attinet, licet impensis oppressi, subnotationis pretium in annum MCMXLI immutatum reliquimus; hoc est in Italia libell. 15; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae italicas libell. 30 exaequet. Communi vero huic subnotationi additur altera, quam *adiutricem* appellare consuevimus, duplicato utriusque consociationis pretio. Inter *Patronos* autem Commentarii adscribentur qui summam italicas libell. 200 exaequantem miserint, vel socios novos quinque inscripserint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad annum MCMXL inclusive, sibi cupiant, mittant libell. 750 si in Italia; pretium duplicatum, libell. nempe 1500, si apud exteras gentes.

Pecunia autem omnis solvenda erit sive directe apud doctorem JOSEPHUM FORNARI, « ALMAE ROMAE » Moderatorem, Romae, « via di S. Maria dell'Anima, 39 », sive-idque fortasse exteris incolis expeditius hodie fiet - indirecte per « Typographiam Polyglottam Vaticanam (Città del Vaticano) », vel per bibliopolam aliquem, aut aliquod suae civitatis Romanum Collegium, vel nummariam mensam exterarum civitatum in Urbe procriptionem habentem.

Denique has de subnotatione leges in mentem sibi quisque revocet;

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tre acceptos reddidit — (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

De mysteriorum doctrina apud Horatium

Cum apud Horatium nonnulla inveniantur, in Carminibus praesertim, quae ad mystarum, qui dicuntur, doctrinam referuntur, licet suspicari illum arcana eorum calluisse.

Saepenumero mihi legenti et discipulis explananti Horatii carmina dubitatio occurrit an Horatius iis sacris initiatus sit, quae ad Cererem vel Bacchum pertinerent, vel saltem arcana ea cognoverit, quod quidem nullo modo potuit fieri nisi ad ea accesserit.

Constat enim mystas iure iurando et sacramento adactos esse ne profanis ea aperirent, quae ab hierophante accepissent, tantaque diligentia hoc servatum esse iusjurandum ab initiatis, ut, nisi laminas aureas vel murales picturas pompeianas invenissemus, mysteriorum doctrinam plane ignoraremus.

Aeschylus, Pindarus, Plato, Apuleius ceterique poëtae vel solutae orationis scriptores, qui de hac mystica doctrina quedam reliquerunt vel tradiderunt, tanta obscuritate tantaque circumspectione, quasi nebula, obvolverunt ut, nisi ex alio fonte accepissemus, nihil ex iis omnino intellegeremus.

Atqui eo consilio hoc profecto fecerunt ne quid, nisi ad eos, qui initiati essent, de ea doctrina manaret; quod quidem ipsum in Evangelio commendatur « Nolite procri margaritas ante porcos ».

Quam ob rem Heraclitus ipse appellatus est *obscurus* (« σκοτεινός ») a suis civibus, qui de eius poëmate, quod tribus libris exaratum in templo Artemidis Ephesiae suspendit, nihil plane intellexerunt.

Quorum autem scriptorum exemplum imitatus esse mihi videtur Horatius, qui dum ridet atque affirmat nullam sibi religionem esse, plurimis vero locis, carmi-

num praesertim, quae civilia appellantur, altiora et maiora canit, quaeque nullo pacto intellegi et explanari possint, nisi ex illa mysteriorum sapientia lumina afferantur.

Restat igitur ut nonnulli loci, de quibus supra diximus, referantur et explanentur, ut nostra suspicio confirmetur atque in hanc sententiam veniamus: Horatium mysteriorum initiaenta nosse, iisque usum esse in carminibus illis, quae ad suorum civium utilitatem conscripsit.

In carmine X primi libri Mercurium canit, Atlantis nepotem, nempe Maiae filium

*Mercuri facunde // nepos Atlantis;
cur non eum filium Iovis appellat?*

Atque insuper caesuram ponit femininam seu trocaicam, qua in hoc carmine ter uititur:

*Te canam magni Iovis et deorum
Nuntium curvaeque // lyrae parentem
et*

*Tu pias laetis animas reponis
sedibus virgaque // levem coërces
aurea turbam.*

Constat Horatium (qui, ut de Homero ipse dicit, nihil molitur inepte [Ars poët., 140]) caesura trocaica seu feminina fere semper usum esse cum dea, vel muliere, vel de re quacumque agatur, quae generis feminini sit, ut in Carmine saeculari plurimisque aliis locis.

Lyra, cuius parentem fuisse Mercurium constat, imago est feminini sexus, atque ita apud mystas intelligitur. Quam inventam Mercurius Apollini fratri dono dedit, ut ille qui sol est, id est masculi index, prae se ferat feminae imaginem.

Qua sub significatione fortasse Germanicae gentes solem *Die Sonne* feminini generis nomine appellant.

Ex hoc colligitur ab Horatio Mercurium feminineis caracteribus distinctum, ut motum intellectum esse, quoniam apud mystas motus non actio est, sed quaedam passio et ideo imperfectio.

Quomodo autem perfectus esse potest

ille deus qui catus *voce formavit feros cultus hominum recentum*, qui fraudem, et furtum, et dolum, et patrat ipse et protegit; cuius auxilio Priamus Thessalos ignes et iniqua Troiae castra fecellit; qui semper ocior aura movetur, spatium caelum inter et Tartara percurrens, superis deorum gratus et imis?

Filius Maiae, idest vanitatis et falsae speciei, et erroris, latrones et fures iuvat, homines aurea virga ab Apolline fratre dono accepta e vita tollit et in vitam reducit, mortis et vitae imago est, seu motus, qui in homines cadit; non autem in Deum, qui est veritas, perfectio, nec ullam immutationem accipit.

Etiam apud Aristotelem actus purus, qui omnia movet nec movetur ipse, Deus est, apud quem nulla est passio, sed absoluta aeternaque perfectio.

Nunc haec de motu doctrina a Xenophane primum et Parmenide tradita, atque a Platone cum quadam emendatione et a clarissimo eius discipulo accepta, qua motus vel, ut non esse, negatur, vel in δόξα ponitur et in sensibus, ex mystarum praecopsis procul dubio manat, atque adhuc a sapientibus Indis retinetur.

In carmine XII eiusdem libri Pindarum non solum verbis, quae ex initio secundae olympicae mutuatus est, sed etiam re imitatus, deos et homines caelum et terram uno eodemque vinculo coniunxit.

Loci autem illi, qui nonnullis explanatoribus inexplicabiles videntur, quosque prosos minusque affabre factos iudicant, magnam quidem significationem accipiunt, si sub hac luce, mysteriae videlicet doctrinae, inspiciantur.

*Quid prius dicam // solitis parentis
Laudibus qui res // hominum ac deorum
Qui mare ac terras // variisque mundum
temperat horis?*

*Unde nil maius // generatur ipso
Nec viget quidquam // simile aut secun-
[dum]*

Proximos illi occupavit

Pallas honores

*Proeliis audax. // Neque Te silebo
Liber, et silvis // inimica Virgo
beluis, nec Te, metuende certa
Phoebe sagitta.*

Quibus versibus sub nominibus deorum vulgo cognitorum tres adspectus canit, quibus sapientes homines « primi Principii » naturam ac vim expresserunt.

Constat enim patrem *unde nil maius generatur ipso*, etc. « potentiam », Palladem — quae proximos illi honores occupavit — « sapientiam », « e capite Iovis ortam », Liberum et Virginem saevis beluis inimicam, idest Artemidem, « Amorem, et vitam » significare. Phoebus autem « *metuendus certa sagitta* » mihi aliud est quam mors (*Ἄπολλων* = eversor, extinxitor viventium) idemque creator, qui ideo vitam et mortem omnibus afferit.

In carmine XVIII eiusdem I libri, quod sic incipit: *Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem*, Bacchum patrem appellat, ut mos erat apud mystas, et de eius mystica significatione quaedam affirmat, quae nonnullis explanatoribus subobscura vel inania et incompta videntur:

... Non ego te, candide Bassareu, invitum quatiam, nec variis obsita frondibus sub divum rapiam.... His verbis, quae varie a pluribus accipiuntur, meo quidem iudicio, omnis mystarum doctrina continetur, quae ad vitam eiusque mysticam significationem refertur.

In pluribus autem carminibus, praesertim libri II, de brevitate et caducitate vitae et de imminentia morte queritur, et saepe, ut in carmine XIII, sedes piorum discretas ab impiis canit, easque describit. Quae quidem omnia ad mysteria referuntur.

Item in carmine XIV *Eheu fugaces, Postume, Postume // labuntur anni*, etc. mortem indomitam, et Plutonem inlacrimabilem appellat, atque poenas impiorum re-

cordatur: postremo avaros monet, ne dicitias congerant, quas postea heres dissipabit: ... *Absumet heres Coecuba dignior servata centum clavibus.*

Carmen autem XIX eiusdem libri bacchicum potest appellari, quod totum est in Bacchi honorem compositum, eiusque vim et potentiam celebrat:

*Bacchum in remotis carmina rupibus
ridi docentem, credite posteri....*

*Tu flectis amnes, tu mare barbarum
Tu separatis uvidus in iugis
nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.*

Quid dicam de carminibus tertii libri, quae civilia vulgo appellantur, in quibus vates se Musarum sacerdotem praebet, et non prius audita virgines puerosque docet?

Sex illa praecipue carmina, quibus liber incipit, virtutem praedicant Romanam, quae in iustitia ponitur et ex iustitia manat, ut in tertio carmine eiusdem libri confirmatur. Sed in secundo carmine, postquam virtutem laudibus in caelum extulit, affirmans illam « repulsae nesciam sordidae intaminatis fulgere honoribus et recludentem imeritis mori caelum negata tentare iter via », repente addit:

*Est et fidi tuta silentio
merces: vetabo, qui Cereris sacrum
volgarit arcanae, sub isdem
sit trabibus fragilemque mecum
Solvat phaselon. Saepe Diespiter
neglectus incesto addidit integrum:
raro antecedentem scelestum
deseruit pede Poena claudio.*

Ecquod silentium poëta intelligit?

Nonne videtur his versibus mystarum silentium intelligere, cui se adstrictum esse affirmat?

Sexcenta huius generis exempla afferre possum; sed ne taedio lectorem afficiam, finem faciam illud in mentem revocans, quod Horatius fuit Athenis anno quadragesimo tertio a. Ch. n. una cum Marco

Ciceronem filio aliisque pluribus nec quidquam impedit quominus putemus illum, ut mos erat illorum temporum, sacris mysteriis initiatum fuisse.

Doct. BERNARDINUS FRONZAROLI.

DE FESTO EPIPHANIAE DOMINI

Epiphaniae festi nomen graecum omnino est, idque apparitionem significat; unde etiam « theophania » est appellatum, hoc est festum patefactionis divinae. Ab Apostolis ipsis, prouti vulgo creditur, institutum, festum tria memorat miracula, et de stella quae Magos ad praesepe duxit, et de Galileis nuptiis, quando divinum sese numen Christus ostendens aquam in vinum convertit; denique de sacro Christi lavacro in Iordanie; ad quam memoriam Graeci accedunt, dum Latina Ecclesia praesertim Magorum celebrat adorationem. Quum autem antiquitus Nativitas ipsa dominica, non iniuria, epiphania appellata fuerit, — pastoribus enim tum se Christus aperuit, — hoc de quo agimus « festum de luminibus », et « de secundis epiphanis » dictum est inter alios a Gregorio Nazianzeno. Inde certe Patrum a S. Dominico mos est deductus, magno luminum apparatu hac nocte in suis templis matutinum celebrandi, in quo progenies Christi secundum Lucam in tertio nocturno canitur.

Diximus Latinam Ecclesiam praesertim in epiphaniae sollemnibus Magorum adorationem hac die commemorare; itaque plura de re in sacro officio referuntur, inter quae in memoriam revocabimus invitatori ad Matutinum omissionem, sive, prouti nonnullorum scriptorum sententia est, « ut a dolosa invitatione Herodis discrepemus »¹ sive, ut alii putant, quia Magi aperte non fuerant ad adorationem Filii Dei, ut An-

¹ Cfr. MICROL., *De Eccles. observ.*, c. 40.

gelorum annunciatione pastores, sed nutum tantum stellae invitati.²

Item reticetur matutinus hymnus, qui quum sit perfectorum symbolum, non pronunciatur; neque enim tunc perfecta, sed inchoata tantum ethnicorum conversio erat.

Iuxta mandata Concilii Aurelianii IV (can. I), Concilii Toletani IV (c. IV) et Pontificalis Romani hac die mobilia totius anni festa annunciar debent. Graeci autem in memoriam Christi baptizati multis caeremoniis benedicunt aquam, in quam trina demersione Crucem infundunt; ex aqua purificantur domus, quod apud nos fit Paschalibus diebus.

Haec de solemmissimo festo die et de eius ritibus memorasse sufficiat; num erit addendum apud Romanos nos ea die pueros munuscula exspectare, quae et parentes et propinquai donent, arcanae illius ac deformissimae foeminae mandato, cui *befana* nomen indiximus? Consuetudo haec proculdubio donorum a Magis Christo oblatorum recordationem consecrat, non aliter ac nomen ipsum *befana* epiphaniae nomen in mentem revocat, quamquam non defuerunt speciosi homines, qui *befanam* scribentes, nomen idem deduxere ab italica voce *beffe*, id est *irrisio*, *iudificatio*, sese referentes ad Herodem a Magis deceptum, qui quum moniti essent ab Angelo ne ad eum redirent, «per aliam viam reversi sunt in regionem suam». Non equidem istis assentior, quum haud donanti, sed accipienti potius nomen tribui deberet, quando iam diu exspectanti nullum donum offerretur; quod fit nonnumquam ad puniendam puerorum insolentiam. Tunc enim iis *befana* praebet cinerem et carbonem....

X.

² Cfr. DURAND., lib. 6, c. XIII.

Qui alterum incusat proprii, ipsum se intueri oportet,

PLAUTUS.

MONTE DECURRENS AMNIS¹

Qui semel exesi celso de vertice montis rumpentes prospexit aquas, deponere mente haudquaquam memori poterit, sed corde tuerit quod pulchrum vedit, quaeque admiranda fuerunt:

haec ego spectavi, et forsitan cecinisse iuvabit.

Sol etiam fulgens summo aspiciebat Olympo, et croceis radiis spargebat fluminis undas;

et flumen latum graditur, crepitansque fremens

[que] vorticibus spumat rapidis, atque omne quod ob-

[stat] torquet, et impellit per aquas innare minaces.

Rupis inaccessae utque supercilia aspera tangit,

anceps pene haeret visu ferventis abyssi;

at subito insano, caecoque furore tumescens,

praecipitansque, ruensque, alto provolvitur alveo.

Tum cadere effractum montem magna ruina

credas et reboare solum, atque dehiscere abyssos.

Labentes undas prorumpit ad aethera fluctus,

pellitur atque idem, stridensque, sonansque res-

[sultat] se miscent undae, et pulsant, graviterque laces-

[sunt] congrediuntur aquis fluctus, ac fluctibus unda,

concrescitque furens, spumansque exaestuat ira.

Hic bella, et pugnae saevae, hic certamina sem-

[per] hic congesta putes iras, populique tumultus.

Ut primum sensus, animusque stuporequierunt,

cooperunt et aquae minus agmine currere caeco,

undique cernere erat spumas effulgere et undas,

candorem effusum, lucis variosque reflexus;

Iris enim pictum, caelo demissa profundo,

arcum protendit, dum Phoebus spectat ab alto.

Et tandem flumen, placatis fluctibus, amplum

rursus iter longum ingreditur, cursuque quieto.

Tunc hominum pariter potis est servire saluti;

namque libens proprias dat aquas. Sic fluminis

[unda] commovet, impellitque molas frumenta terentes,

unde fluunt rivi albentis, tenuisque farinae,

et panis vitam praebet, validumque vigorem.

Iam circa mensam pueri nitentes

¹ Ex carminibus SALVATORIS GIANNELLI nuper in volumen collectis. Quod cl. auctor hoc edendum nobis dedit, gratias habemus et referimus.



quadras, ac panes teretes rodunt redolentes: et quae laetitia, utque benignus risus eorum! Continuo studium natorum, et sedula cura edocet, ac stimulat duros tolerare labores; et per agros patulos, per colles, atque domorum limina fervet opus; vallesque, nemusque vetustum

assiduo cantu resonant, ac voce bipennis: sic hymnum vitae cantat natura perennem.

Hinc duras vertit glebas, et scindit arator, ac reddit rami viridantes mitia poma, et dabit alma Ceres terris caelestia dona.

Ulterius flumen currans per prata, per arva, concitat usque rotas electri ubi machina surgit, et puram generat lucem, noctemque repellit.

Vivida lux ergo exoritur, tremulansque, micans que effluit; inde levis voltans, ferit aethera celsa,

ac lumen lunae radiantis lumine vincit; perque vias, longo filo deducta per urbes,

atria, templa, domos vestit fulgore nivali.

Dum populi interea rixis lacerantur, et armis,

Iris caelestis, mundo, pia nuntia pacis, iucundam referat pacem, lucemque serenam.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De coniunctione « ut » reticita

Coniunctio « *ut* » saepe reticetur in fronte propositionis completivae.

EXEMPLA: Tu *velim* e Fabio, si quem habes aditum, *odorere*, et istum convivatum degustes, et ad me de his rebus et de omnibus quotidie scribas (CIC., Att., IV, 9) — Nolo accusator in iudicium potentiam afferat, non vim maiorem, non auctoritatem, non nimiam gratiam (CIC., Mur., 28) — Malo te sapiens hostis metuat quam stulti cives laudent (TIT. LIV., XXII, 39) — Fac cupidus mei videndi sis (CIC., Fam., V, 21) — Duobus ducibus unus resistas oportet; sine timidum pro cauto, tardum pro considerato vocent (TIT.

¹ Cfr. fasc. sup.

LIV., XXII, 39) — Virtus voluptatis aditus intercludat necesse est (CIC., Fin., II, 35)

— Quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim (CIC.) — Pecuniae oportet imperes, non servias (PUB. SYR.) — Visne igitur te inspiciamus a puero? (CIC.) — Necesse est iste qui amicum fama ac fortunis spoliare conatus est, impium se esse fateatur (CIC.) — Inhumanum est esclamare « Caesar, cave te fratrum pro fratribus salute obsecrantium misereatur » (CIC.) — Tu velim domum Sylanam cum fabris inspicias (CIC.) — Vellem continuo gaudeas (CIC.) — Vellem adesse posset Panaetius (CIC.) — Hunc admonet caute iter faciat (CAES.) — Labienum hortatur ad eam diem revertatur (CAES.) — Id mea causa facias a te peto (CIC.) — Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret (CIC., Off., III, 1-3).

De vocibus adverbiorum more usurpatis.

Adverbiorum more construuntur quaedam substantiva, adiectiva, participia et pronomina, ac praesertim praepositiones non paucae.

EXEMPLA: Nemo *adversus* ibat (TIT. LIV.) — Commodius fecissent tribuni plebis, si ea quae apud vos de me deferunt, ea *coram* potius me praesente dixissent (CIC.) — Magno numero iumentorum in flumine *supra* atque *infra* constituto, traducit exercitum (CAES.) — Litteris graecis ac latinis *iuxta* atque *doctissime* eruditus (SALL., Iug., XCV) — Misi ad te litteras, ut loquerer tecum absens, quum *coram* id non liceret (CIC.) — Atheniensibus exhaustis praeter arma et naves nihil erat *super* (CORN. NEP.) — Interea Rutuli portis *circum* omnibus instant (VERG.) — Eorum ego vitam mortemque *iuxta* aestumo (SALL., Cat., II) — Carent toga *iure* quibus aqua et igni interdictum est (P. I.) — Nocte *silentio* excesserunt (TIT. LIV.) — Nemo fit *casu* bonus (SEN.) — Litteras

a te bis terve *summum* et eas perbreves accepi (CIC., *Fam.*, II, 1) — Ut silentium fuit, *ordine* cuncta, ut gesta erant, Virginius exposuit (TIT. LIV.) — Tales nos esse putamus, ut *iure* laudemur (CIC., *Off.*, I, 26) — Epaminondas eloquentia perfecit, quod *post* apparuit, ut auxilio sociorum Lacedaemonii privarentur (CORN. NEP., *Epam.*, 6).

S. Leonardi in Helvetia

J. Iss.

DE VOCIBUS PEREGRINIS EX GRAECO IN LATINUM INDUCTIS

Ut quisvis populus cum rebus alienis mercatura commeatuque aliarum gentium introductis nova nomina in suum sermonem asciscere solet, ita Romani quoque, qui propter inopiam sermonis patrii aptis carebant vocabulis, quibus res ab exteris nationibus assumptas appellarent, magnam vocum peregrinarum copiam in usum receperunt.

Res, quae in quaestione versatur, a Cicerone ita explanatur: « Si res suum nomen et vocabulum non habet, necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere ».¹

Antiquissimis iam temporibus multitudine vocum Graecarum non ita exigua fuit, quarum numerus postea valde auctus est. Potissimum ex bellis cum Tarentinis et Pyrrho gestis Graecorum mores atque humanitas in Romanorum civitatem influere coeperunt. Syracusis vero captis et Corintho expugnata non modo merces et artificia varii generis, sed etiam Graeci ipsi Romam confluxerunt. Accessit etiam, ut divitiis in dies crescentibus peregrina luxuria et voluptates augerentur. Non minimum puerilis institutio, quae in domibus amplioribus tota fere magistris Graecis committebatur, ad verba peregrina in la-

tinum inducenda multum valuit. Et quis est qui nesciat fontem litterarum Romanorum fuisse Graeciam, unde verbi gratia Plautus longe plurima nomina peregrina hausit, quae apud posteriores scriptores usque ad Ciceronem inveniuntur?

Iusto igitur iure Cicero dixit: « Influxit non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc Urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium ».²

Nihilo setius Romani suum sermonem antiquitus summae sibi gloriae duxerunt, qua de re Valerius Maximus ita refert: « Magistratus prisci illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Graecis unquam nisi latine responsa darent. Quin etiam ipsos linguae volubilitate, qua plurimum valent, excussa per interpretem loqui cogebant non in urbe tantum nostra, sed etiam in Graecia et Asia, quo scilicet latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur ».³ Amor patrii sermonis apud eos adeo valuit, ut nulla ferme verba Graeca reciperent nisi necessaria, quae aut ad domesticorum formam sic accommodabantur, ut eorum origo a nullo homine cognosceretur, aut, si verbum ipsum non est mutatum, latina saltem flexione indebantur; per pauca graeco modo flectebantur. Hoc insuper animadverendum est Romanos aurea litterarum aetate, quamquam appulsus culturae Graecorum praevalens erat, tamen ab omni varietate ac permixtione utriusque linguae afuisse.

Iam Plautus verba Graeca plerumque servis tantum et hominibus infimorum ordinum accommodare solet. Terentius hanc consuetudinem plane omittit. Apud Lucretium, qui semper dat operam, ut notiones ad philosophiam referentes latine reddat, rarissimus vocabulorum Graecorum usus invenitur. Ceteros quoque poetas sermonis integratati studuisse videmus, excepto Lucilio, cuius in carminibus plurima est

¹ *De oratore*, III, 40, 159.

² *Dictionarium et factorum memorabilium*, lib. II, 2, 2.

sermonis eruditorum hominum suae ipsius aetatis effigies.

Sed imprimis oratores ac rerum scriptores vocibus peregrinis alienissimi sine certa re ullum verbum ex graeco mutuari dubitaverunt; immo pro alienis latina substituere aliquo modo conati sunt. Cicero, elegantissimi ac purissimi sermonis auctor, ea tantum vocabula peregrina probavit, quae usu populi ac virorum eruditorum ex breviore aut longiore tempore in civitatem ascripta erant. Ipse honesta severitate latinitatis integratatem sustinuit, de qua plures luculenter disseruit.

Testes sunt tres ex scriptis eius loci, qui sequuntur:

« Quin etiam Graecis licebit utare, cum voles, si te Latina forte deficient. Bene sane facis; sed enitar, ut latine loquar, nisi in huiuscmodi verbis, ut philosophiam aut rhetoricam aut physicam aut dialecticam appellem, quibus ut alii multis consuetudo iam utitur pro latinis ».⁴

« Ut enim sermone eo debemus uti, qui innatus est nobis, ne, ut quidam, graeca verba inculcantes iure optimo rideamur, sic in actiones omnemque vitam nullam discrepantiam conferre debemus ».⁵

« Dicam, si potero, latine. Scis enim me graece loqui in latino sermone non plus solere quam in graeco latine ».⁶

Quod autem ratione docuit, id in rebus atque usu observavit. Maxima copia verborum Graecorum in epistulis reperitur, ubi non raro Graecis litteris scribuntur; in orationibus pauca restant exceptis illis, quae in rationem mercium delicatarum aut mercaturaem aut cuiusque modi artium cadunt; non ita multa verba aliena in scriptis sunt exhibita de arte dicendi compositis; quin etiam in scriptis ad philosophiam pertinentibus eorum numerus mire quam exiguis est. Notum porro est, quantopere Ci-

⁴ *Academica posteriora* I, 7, 25.

⁵ *De officiis* I, 31, 111.

⁶ *Disput. Tuscul.* I, 8, 15.

cero artificialia vocabula philosophorum Graecorum nominibus vere latinis permuteare studuerit.

Eadem cautione, quae Ciceronis erat, Caesar, Sallustius, Livius, Seneca philosophus usi sunt. Tacito autem sermonis integritas tantopere ob oculos obversata est, ut ne philosophum quidem et philosophiam dicere auderet. Tiberium vero se acerimum puri sermonis amatorem praestitisse constat. Apud Suetonium enim scriptum videmus: « Sermone Graeco quamquam alioqui promptus et facilis, non tamen usque quaque usus est abstinuitque maxime in senatu; adeo quidem, ut monopolium nominaturus veniam prius postularet, quod sibi verbo peregrino utendum esset. Atque etiam cum in quodam decreto patrum emblemata recitaretur, commutandam censuit vocem et pro peregrina nostratem requiriendam aut, si non reperiatur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam ».⁷

Linguam vero medicorum nominibus alienigenis maxime delibutam esse idcirco mirum non est, quod ars medica per longum tempus a Graecis dumtaxat colebatur. Romanis enim hoc vitae institutum contemptui erat, quod ad mercedem quaestumque abducebatur, quo factum est, ut servis libertisque reservatum fuerit. Ex quo tempore Caesar medicis peregrinis civitatem dederat, Romani quoque homines medicinam capessiverunt.

Inter Romanorum scriptores, qui de hac arte scripsierunt, Cornelius Celsus eminent, qui, quoad fieri potuit, medicinalia nomina latina pro Graecis substituit. Cuius in opere haec inveniuntur exempla: 1. Serpentia ulcera oris pro aphthae. — 2. Resolutio nervorum vel membrorum pro apoplexia sive paralysis. — 3. Suppuratio pro apostasis. — 4. Abscessus corporis pro apostema. — 5. Articulorum dolor pro ar-

⁷ *Tiberii vita*, cap. 71.

thritis. — 6. Malus corporis habitus pro cachexia. — 7. Morbus tenuioris intestini pro chordapsus vel ileus. — 8. Saeptum transversum pro diaphragma. — 9. Tormina pro dysenteria. — 10. Difficultas spiritus pro dyspnoia. — 11. Morbus comitalis pro epilepsia. — 12. Profluvium sanguinis pro haemorrhagia. — 13. Timor aquae pro hydrophobia. — 14. Suffusio pro hypochisis. — 15. Morbus aquatus vel morbus regius pro icterus. — 16. Letitas intestinalium pro lienteria. — 17. Nigrities pro necrosis. — 18. Dolores renum pro nephritis. — 19. Dolor pulmonis, vitia pulmonum pro peripneumonia. — 20. Detractio sanguinis pro phlebotomia. — 21. Insania febricitantium pro phrenesis. — 22. Tabes pro phthisis. — 23. Porrido pro pityriasis. — 24. Dolor lateris pro pleuritis. — 25. Distentio nervorum pro spasmus. — 26. Difficultas urinae pro stranguria. — 27. Rigor nervorum pro tenus. — 28. Aspritudo pro trachoma. — 29. Lippitudo arida pro xerophthalmia.

Simili ratione posteris temporibus scriptores artis salutaris Celsi vestigia persecuti notionibus Graecis nomina vere latina subdere studuerunt, neque facere possumus, quin, quidquid ex magno Georgis vocabulario conquisivimus exemplorum, hoc loco afferamus; haec autem reperiuntur: 1. Apertio corporis pro anatomia. — 2. Oscedo pro aphtha. — 3. Ictus sanguinis pro apoplexia. — 4. Morbus articularis sive articularius pro arthritis. — 5. Amputatio pulsus vel parvitas pulsus pro asphyxia. — 6. Anhelatio pro asthma. — 7. Defluxio vel destillatio pro catarrhus. — 8. Perforatio testae pro craniotomia. — 9. Discretorium, praecordia, saeptum pro diaphragma. — 10. Defluxio ventris, deiectionis alvi, fluor ventris, profluvium alvi, profluvium ventris, stomachus solitus pro diarrhoea. — 11. Medicamenta mictoria vel mictualia pro diuretica. — 12. Tormina intestinalium pro dysenteria. —

13. Morbus caducus, morbus sacer pro epilepsia. — 14. Dulcedo pro erethismus. — 15. Aqua intercus, intercus, morbus aquae intercutis pro hyderus et hydrospismus et hydros. — 16. Metus vel pavor aquae pro hydrophobia sive phobodipsus. — 17. Suffusio oculorum pro hypochisis vel hypochima. — 18. Aurugo et bilis suffusa et suffusio fellis et suffusio luridae bilis pro icterus. — 19. Tormentum intestinalium pro ileus. — 20. Passio renalis vel vitium renale pro nephritis. — 21. Remissio nervorum pro paralysis. — 22. Reduvia pro paronychium. — 23. Missio sanguinis pro phlebotomia. — 24. Morbus pedicularis pro phthyriasis. — 25. Dolor lateralis et punctiones laterum pro pleuritis vel pleuritis. — 26. Scabies pro psora. — 27. Fluctio pro rheuma sive rheumatismus. — 28. Convulsio pro spasmus. — 29. Profluvium geniturae pro spermatorrhea. — 30. Stillicidia (n. pl.) urinae vel tormina urinae pro stranguria.

Haec omnia et Celsi et aliorum interpretamenta latina utrum cum rebus bene congruant an significantia careant, arbitrio medicorum rerum peritorum permitti oportet. Tamen, cum frequens vocum latinarum numerus velut angina, caries, febris, fistula, fractura, glandula, gravedo, hernia, impetigo, inflammatio, lentigo, luxatio, papilla, pestis, prurigo, pus, pustula, sanies, scrofulae, sectio, struma, tonsilla, tumor, tussis, ulcus, varix, ventriculus cordis, verruca, vitiligo, vertigo antiquitus apud medicos hodiernos usitatus perceptusque sit, sperandum est fore, ut quam plurima nomina Graeca ex medicorum lingua paulatim excutiantur. Cuius rei felix ab Avenario nostro initium est factum, qui haemoptoidem vomitu sanguinis hypertoniamente pressu sanguinis reddere audet.⁸ Et quod maius est, Mathias Nicolau, medicus Parisiensis, latinas compensationes pro

⁸ Vide *Colloquia Schipperiana in SOCIETATE LATINA*, VI, 50 et VIII, 63.

Graecis artis sua vocabulis invenire molitur. Iamque hic latinitatis amicus ac fautor studiosissimus magnum edidit vocabularium, unde Georgius Lurzius nonnulla protulit exempla.⁹ Substituitur autem ab illo medico impotentia ambulandi pro abasia; voluntatis defectio pro abulia; bilis defectio pro acholia; coloris defectus pro achromasia; deminutio globulorum rubrorum pro aglobulia.

Sed quorsum haec tota spectat dissertation? Satis nos ostendisse arbitramur Romanos tam sapienter verbis Graecis usos esse, ut eorum exemplo etiam nobis rem latinam colentibus via utilis pateat. Ut antiquis temporibus, ita hodie latini sermonis integritas suprema sit nobis lex. De fixum in animis nostris esto illud Quintilianus: « Hic non alienum est admonere, ut sint quam minime peregrina et externa; multos enim, quibus loquendi ratio non desit, invenias, quos curiose potius loqui dixeris quam latine. Quare, si fieri potest, et verba omnia et vox huius alumnum urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata ».¹⁰

Vratislaviae.

HANS LIS,
studiorum consiliarius.

Epistolare sociorum commercium

VALENTINUS FEHÉR sodali clarissimo ALEXANDRO AURELI, A. R. socio s. p. d.

Liceat mihi pauca cum bona pace tua dicere de scriptis quae recens in hac ALMA ROMA nostra, o Alexander, edidisti. Non omnibus rebus tibi assentior, primum quod dicis Bernardum et Thomam Aquinatem tam bono sermone Latino usos esse, quam Ciceronem, Caesarem, Augustinum, Hieronymum et qui sunt reliqui. Bernardus enim et Thomas prompte volverunt illi qui

⁹ In SOCIETATE LATINA, VI, 41-44.

¹⁰ Institutio oratoria, VIII, 1, 2-3.

dem verba Latina, sed cum, ut ita dicam, neque cum lacte materno linguam Latinam suxissent, neque in primarum litterarum ludo penitus Latinum sermonem eiusque regulas perdidicissent, neque domi aut ubicunque semper ac perpetuo verba Latina audissent aut ipsi locuti essent; non tam subtilem ac perfectam linguae Latiane notitiam habere poterant, quam Cicero et Caesar, atque adeo Augustinus et Hieronymus habuerant. Itaque ignorabant et qui ab eorum aetate usque adhuc fuerunt et nunc sunt litterati homines, ignorant diversos verborum Latinorum intellectus et subtiles differentias sententiarum ac semper fere uno eodemque vocabulo, quod optime noverunt, utuntur ad aliquam rem significandam.

Error est, quod dicis propter illam penuriam temporum, propter ablativum absolutum et genitivum obiectum — et reliqua eiusdem generis — ambiguam obscuramque fieri locutionem. Nobis fortasse, Romanis non item. Affers hoc exemplum: « Augusto mortuo » et hanc verborum complexionem affiras esse obscuram atque ambiguam, eo quod complures habeat intellectus. Nimur si ipsa vocabula ex tota pronuntiatione exempta spectamus. At enim hoc in quacumque lingua valet. Verbi gratia in hoc linguae Hungaricae vocabulo: « ár » tres intellectus latent, 1º pretium mercis, 2º fluor, flumen aquarum, lacrimarum; 3º subula sutoria; tum in hoc: « vár » duo insunt intellectus, 1º exspectat, 2º arx; neque tamen idcirco perplexus est sermo Hungaricus.

Omnes nationes ad suam quaeque natum explicant atque excolunt sermonem et eloquia, quae maxime congruunt ipsis nationis ingenio; alioquin nata ortaque non essent. Quodsi populus Romanus inter volubilia verba alicuius oratoris audierat haec verba: « Augusto mortuo », statim percipiebat, quomodo illa recte intelligenda essent. Hoc ita est etiam nunc

in unaquaque lingua. Non dico plebem, in primis rusticos saepe usos esse longo illo verborum ambitu, ablativo absoluto, gerundivo: at si haec in perpetuo sermone audierant, continuo dictorum vim et sententiam intelligebant. Nulla est lingua, cui talia plurima desint. Hoc non vitium, potius virtus est sermonis. Si populus Romanus huiusmodi linguam sibi explicavit — Cicero enim non temere neque ex libidine egit —, constat hoc naturae ipsius atque ingenio convenisse.

Hoc vero iterum iterumque firmiter assevero: Postquam Itali (Romani) illam veterem linguam Latinam loqui desierint, id est quandoquidem *nulla nunc gens* hac linguam utatur, neminem posse linguam Latinam tam perfecte atque absolute perdisce: non enim est *lingua viva*. Ex quo sequitur nobis, qui hanc linguam in schola discamus, saepe ambigua atque obscura esse, quae Romanis plane perspicua fuerint.

Adde, quod longe plurima verba, locutiones, proverbia, quae non descripta in libris emortua sunt, ignoramus. Quin etiam audeo dicere: haud scio an Romani veteres carmen Vergilii melius convenientiusque linguae Latinae dixerint, quam *Metropii Paulini*, quamvis nostris auribus huius carmen pulchrius fortasse sonet.

Verum est antiquissimos scriptores Christianos, in primis interpretes Sacrarum Scripturarum, non Ciceronis elegantia, sed vulgari sermone usos esse; at meminerimus illos non tam civibus eruditis, quam plebi atque servis scripsisse, eo quod maxime iis dediti erant. Et quoniam nunc quoque, sicut quondam apud gentes litterarum studiis artibusque imbutus, oratio accurata atque expolita multis rebus discrepat a sermone plebis, recte in lingua Latina eo scribendi modo nobis utendum esse censeo, quo Romani scriptores usi sunt, atque eo magis, quod lingua Latina, cum emortua sit — id est nulla *gens* ea uta-

tur —, ultra eum finem, in quo optimi Romani scriptores eam nobis reliquerunt, ut ex rei natura sequitur, non amplius impune excoli atque mutari potest, sicut ne lingua quidem Graecorum antiquorum.

Addo hoc et rogo, ne mihi succenseas, quod nonnulla vitia exprobro. «Saepius» non satis recte, sed hoc: «saepe, saepissime»; item hoc: «utique», recte: «nimis, scilicet, videlicet». Haec vocabula: Gallicum, Hispanum, Latinum, litteris magnis, quae dicuntur, incipienda sunt. Hic est usus linguae Latinae, quemadmodum magis etiam Germanicae. Inconstantiae est, quod hoc vocabulum: «Christianus» nunc parva, nunc magna littera incipit.

Salve et vale.

Scr. in Hungarico oppido Pápá.

Selecta ex bibliothecis et archivis

Anatomica humani corporis synopsis¹

Praeterea oesophagum offendemus continuatione fibrarum, superato diaphragmate, in stomachum dilatari, cuius duo orificia (non sinistrum dextero superius, ut olim perperam credebatur) eadem in libella locantur; scilicet ut graviora alimenta idoneo tempore ibidem coquenda detineantur; sinistrum sane oesophago, dexterum vero intestino duodeno continuum: neutrum tamen ita clausum, ut alterum ad cibum et potum excipiendum, alterum ad chymum excludendum quoquo modo non dehiscat. Fundum autem ventriculi, quo, veluti mobili olla, coquendum nutrimentum excipitur, nihil acidi humoris a liene per vas breve contra venarum usum, et valvularum repagulum accipit; sed omnem solvendi facultatem deducit a saliva, aliis-

* Cfr. fasc. sup. mens. Decembr. MCMXL.

que salivae potissimum analogis liquidis; partim per tubulos internae villosae tunicae depluentibus, partim a succis biliario, et pancreatico specie cuiusdam aurae fermentativae a duodeno leniter ascendentis; blando interim in hominibus suffragante circumstantium viscerum calore. Nam in populosa piscium familia chylosis nullo ad sensum tempore perficitur, sed solo fermentorum beneficio, et conspirante etiam omnibus animantibus communi peristaltico motu, quo ciborum massa recens admissa vicissim subigitur, commiscetur, et quemadmodum sensim liquescit, ita sensim (novam ex maiori bilis, succique pancreatici admixtione comminutionis, ac praecipitationis vim expertura) detruditur in duodenum. Stomachicorum igitur fermentorum indolem nemo simplicem, nemo violentam sanis in corporibus quaerat; non acidam, non simpliciter salsam, sed ex omnium pene solventium, ac praesertim volatilium, et maxime armoniacalium naturis mixtam, cicuratamque intelligat; scilicet ut cum innumeris fere liquandorum ciborum qualitatibus, quibus homines utuntur, apte conveniat. Atque hinc pultacea, seu chymosa alimentorum massa, praecipitatis ex biis miscella durioribus, densioribus et nutritioni ineptis partibus, quas faeces appellamus; in album tandem ac belle attenuatum, dulcificatumque, lacti similium, cremorem facessit, qui ab intestinis duodeno, ieiuno, atque ileo paulatim exprimitur in lacteas mesenterii venas, Erasistrato olim, sed longe clarius nostrorum patrum memoria ab Asellio demonstratas, chyli nomine insignit.

Sed iam in labyrinthum impeginus, ubi plerique omnes Anatomicorum inter initia vertentis saeculi turpiter inerrarunt, locum nescientes, ad quem chylus ab intestinis per lactea vasa duceretur, et falso circumhepar opinantes; donec Pecquetus (an potius centum et viginti ab hinc annis ex hoc eodem loco, unde nos hodie dicimus, Am-

plissimus Eustachius?) Adriadnae filum porrexit, indicavitque a lumbari cisterna in thoracicum canalem, atque hinc in succaviam venam et dexteram cordis auriculam appellare; scilicet lympham ab universo corpore refluente, et chylum ab intestinis per angustissimas fistulas influentem, facto rivulo, cum superioris cavae sanguine permisceri; quamobrem idem chylus non ab hepate, non a corde tantummodo, aut pulmonibus, aliove viscere in cruce mutatur, sed a mutuo omnium, et permixtione, praecipue ab eodem, cum quo in orbem ducitur, sanguine in sanguinem vertitur. Secta enim paulo post chyli distributionem vena, lacteum saepe cum sanguine succum prosiluisse a multis commemoratum est.

(*Ad proximum numerum*).

JOANNES M. LANCISI.

ANNALES

Europaeum discrimin

Lucta inter Angliam hinc, indeque Germaniam et Italiam, acerrima pervicacia perseverat, varioque Marte, quod praesertim Italos spectat. Angli enim ex Dominiis, quae vocant, suis in Africa et Australia collectis copiis, decemplici dictant prae adversariorum numero, contra ultroque vim in Africa intulerunt, amissa loca recuperarunt suaque agmina Cyrenaicam versus promoverunt, ubi vero ad Bardia oppidum infestissimam defensionis constantiam invenere. Si autem Itali Graecos fines praetergredi valuerunt, Graeci vicissim in Albaniae territorium Argyrocastrum versus penetrarunt. Interim Germania quotidie Anglicas urbes a caelo igniferis globis late pessum dare atque in mari mercatoria navigia demergere.

Praeter haec, notanda est Hungariae primum, ac deinde Rumeniae et Slovaciae

ad novum pacis ordinem in Orientali Asia creandum. Interim vero permanet bellum.

Discrimen alterum, prouti suo tempore nunciavimus, exortum illuc erat inter Thailandiam atque Indosinarum provinciam, scilicet Galliam, quae reapse eam possidet. Postea remissum apparuit; maiori e contra vi, exeunte superiore anno, ita revixit, ut ad arma ventum sit. Sed Iaponia intercessionis partem proposuit; quae fausto auspicio utrinque accepta est. Itaque die XXVIII labentis huius mensis Ianuarii, indutiis indictis, arma deposita sunt.

Funera

Plura proximo tempore civilium virorum funera facta sunt; inter quae Kallii, Finnicæ Reipublicae usque ad extremos dies valentis Praesidis, et Metaxas, Graecorum civitatis Supremi Moderatoris.

POPULICOLA.

LIBRORUM RECENSIO

MICHELE SERRA, *Famiglie di parole latine* (ed. altera ex off. D'Ecclesia, Barii, 1940, p. 146; ven. Ital. lib. 6).

Nonnulli nostris temporibus, praesertim exterarum gentium, conati sunt quam plurima verba latinae linguae ex eorum origine coniungere ac disponere ut cuiusque vices, ut ita dicam, mutationes et significationum varietas statim patenter. Id apud Germanos P. Boesch et F. Hartmann fecerunt, id apud Francos Crédat, Bréal, Ernout aliisque, qui, ex primigeniis vocabulis initium capientes, ita cetera disposuerunt ut ex illis plus minus detorta procedere monstrarent. M. Serra, tantos viros imitatus, idem breviter apud nos nuper fecit, libello in usum edito praesertim discipulorum Lycae, cui ipse Barii praest. Et peropportune quidem; nam non modo utile est ad singulorum verborum significationem capiendam eorum radices repetere ac considerare, sed iucundum quoque, idemque multum valet ad puerorum ingenia excitanda atque excolenda. Fateor me quoque, hunc parvum libellum volventem, nonnulla in-

venisse quae mentem detinuerint; verborum significationem neveram, nunquam vero unde procederent quidque re ipsa significanter animadverteram. Nescio an omnia, quae libello continentur, omnibus omnimode probentur; ea tamen sunt quae utilia, ut supra dixi, esse possint, si magister, hac opella usus, occasione oblata, quae vocabula ab una radice pendeant evolvat eorumque primam significationem doceat. Sed id, mea quidem sententia, cursim in scholis secundi ordinis fiat; non igitur Serrae, iucundissimi sodalis, sententiae accedendum censeo, optantis ut haec ipsa grammaticae pars, quam vulgo «linguisticam» appellamus, in puerorum ludis necessario tradatur. Quantula latinitas in ludis nunc plerumque sit, scimus, et multum, etsi alii aliter sentiant, ipse timeo ne, si aliud iis, quae nunc docentur, addatur, in peius ruamus.

Ios. MOR.

LIBRI DONO ACCEPTI

CAPTA FAVILLA POLO. In funere Gulielmi Marconi carmen elegiacum VICTORII GENOVESI, S. I., Hirpini, in certamine poëtico Ruspatiniano a Studio Urbis inter latinitatis cultores nostros atque alienigenas indicto unanimi iudicium suffragio praemio ornatum (Spoleto, ex off. Panetto et Petrelli).

VICTORIUS GENOVESI, S. I., *Carmen saeculare* (Romae, typis Pont. Athenaei Gregoriani, 1940).

PASCHALIS M. D'ELIA, S. I., *Quandonam omnes gentes ad Christum adducentur oratio* (Indidem).

Carmina Hungarorum redditâ latine a JOSEPHO IRSY (Budapesti, ann. 1938).


CAN. SALVATORE GIANNELLI, *Divagazioni*. Odi latine con versione metrica dello stesso Autore. (Ex off. «Progresso» ad S. Mariam de Capua Vetere, 1940).

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen. Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





VARIA

Homines subinde magis magisque ambitiosos fieri.¹

Postquam populus Romanus recuperata libertate in pristinum statum rediisset, tantoque etiam maiora tuendi sui fundamenta posuisse, quanto plures leges aduersus patriciorum potentiam obtinueret, occasionem habere videbatur iustumque causam quiescendi et concordiam colendi. Quod etsi ita esset, tamen subinde novi motus oriebantur; quarum rerum causas et rationes quum Livius mihi videatur praelare exprimere, non abs re fore putavi, si summam eorum, quae de hac re disputat, hoc loco recensuerim. Alter semper ordo, inquit, gravis alterius molestiae fuit: quiescenti plebi ab iunioribus patrum iniuria fieri coptae. Ubi tribuni auxilio humilioribus essent, in primis parum proderat: deinde neque ipsi quidem inviolati erant. Seniores contra patrum, ut nimis feroce suos credere iuvenes, ita malle, si modus excedendus esset, suis, quam adversariis superesse animos. Ita sub specie moderandae libertatis sic se quisque extollit ut deprimat alium: cavendo ne metuant, homines ultro metuendos se efficiunt, et iniuriam a se repulsam tamquam aut facere aut pati necesse sit, iniungunt aliis. Haec Livius. Nos vero ex his colligere iam possumus causas concertationum quae in civitate instituuntur inde fieri quod homines subinde magis magisque ambitiosi evadant, ut verissimum esse videatur quod apud Sallustium Caesar inquit, omnia mala exempla ex bonis initii orta esse. Nam qui cives in Republica ambitiosi sunt, ii primum muniendi sui rationes tales ineunt, ne ipsi vel ab aliis civibus, vel etiam ipsis magistratibus laedi et iniuria affici queant,

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI*.

ob quam rem amicitias sibi atque clientelas comparant cum largitionibus, tum variis officiis. Quae res quia cum virtute coniunctae videntur, idcirco tolerabiles sunt, nec quisquam esse solet, qui se a principio hisce hominibus opponere velit: quo accedit eas ad tantum fastigium quandoque ascendere, ut et privatis hominibus postmodum terrore sint, et magistratibus ipsis formidabiles.

Paroemiae sive adagia

AB ASINO LANAM

« Ab Asino lanam », sive « Asini lanas quaerere » de iis dicitur, qui stulte quaerunt ea, quae nusquam sunt. Et eodem sensu: « Asinum tondere », nempe de illis, qui rem absurdam atque inutilem aggrediuntur, propterea quod asinum neque peccare possis propter villos, neque tondere, quum lanam non habeat.

Meminit Aristophanes in *Ranis*.

locosa

TUCCUS missus est ad arcessendum medicum pro ava aegrotante.

Interrogat Medicus:

- Rigores ne passa est?
- Scilicet?...
- Dentes inter se ei batuebant?
- Ah! non: eos iam pridem illa depo-suerat in pluteo prope lectum.

Aenigmata

I

Vincere candida quaeque queo candore cerusco.
Frontem mutabis? Me color ater habet.

II

Ad sacra vectabam quondam simulacula deorum.
Muta vocalem! Do tibi remigium.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Copis, Capis;*
2) *Mutus, Tutus.*

Ann. XXVIII

Romae, mense Februario MCMXLI

Fasc. II

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanaam, Città del Vaticano

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARIIS NOSTRI HUMANISSIMIS

*In sedis nostrae recenti translatione,
malo casu factum est, ut exemplaria
nonnullorum fasciculorum, quae super-
fuerant et ad ALMAE ROMAE collectio-
nes integras efformandas servaveram-
us, deperdita fuere. Haec sunt:*

Ann. XVII (1930) fasc. mens. Ianuarii;

Ann. XX (1933) fasc. mens. Iuli,

Octobris, Novembris et Decembris;

*Ann. XXVII (1940) fasc. mens. Ja-
nuarii, Februarii et Aprilis.*

*Si quis Sociorum aut Lectorum no-
strorum exemplar aliquod ipsorum fa-
sciculorum habeat, quod ei non grave-
sit a se abalienare, gratissimum no-
bis fecerit si, pro sua humanitate,
nobis reddere voluerit.*

A. R.

HISTORICAE NOTAE

Quaenam Italiae fuerit condicio ab ineunte saeculo V ad Gallorum irruptiones.

Superiore anno quamplura in hoc Commentario enucleavimus quae tradita sunt de Romanae Reipublicae exordiis usque ad Gallicam eversionem, eaque admodum incerta; nonnulla vero pro certo tenenda. Praestat haec nunc colligere uno veluti oculorum obtutu. Videndum igitur quaenam Italiae fuerit condicio ab ineunte saec. V ad Gallorum irruptiones; deinde quaenam Latii, denique Reipublicae et Urbis.

Quum exeunte saec. IV reges Etrusci ab Urbe exacti sunt, complures gentes Italiam incolebant, peragabant: Graeci, Etrusci, Sabelli; aliique Graeci iam « Magnam Graeciam » incolebant, nempe ubi in inferiore Italiae variae Graeciae stirpes suas quaeque colonias civitatesque condiderant. Sybaris et Croton ad oras Ioni: maris florebant; magis vero, natura ipsa loci, florere potuerunt Graecae urbes Siciliae, ubi Dores praevalent: Syracusae facile praecellent. Circa an. CCCLIII Syracusanae naves Tyrrhenum percurrunt et

Siciliam insulam capiunt. Interea Persae invadunt Asiam minorem, quae dicitur: Graeci complures in Italiam confugiunt; Phocenses Massiliam condunt, quae opibus maxime valuit, atque in Italia Veliam, quae a philosophis collustrata est: utraque civitas Romanis amica.

Poeni etiam crebras faciunt incursionses per insulas atque oras Tyrrheni maris; Africam septemtrionalem incolunt; Sardiniam occupant, primatumque maris cum Syracusanis et Graecis contendunt.

At primum locum tenent Etrusci, qui iam saec. vi per fere totam Italiam sese effundunt, hinc ultra Tiberim, inde vero ultra Apenninum. Ultra Tiberim Roma, Tusculo, Veltiris, Artena potii sunt, imo et Volscis urbibus usque ad Privernum, ad Lirim, et saec. vi exeunte, ad Herculanum, Pompeias et inferius. Ultra vero Apenninum vallem Padanam occupant, attingunt ad Orientem Venetos, ad occidentem Ligures, et non raro permiscentur cum Umbris, usque ad Alpes. Eis eripiunt Perusiam, tercenta deinde oppida; Umbri simul et Etrusci inveniuntur Felsinae, Perusiae, Ravennae.

Ex quo Romanum regnum occupavere, eorum nomen crevit. Tarquinii reges enim in suam redegere ditionem totam fere extremam Tiberis vallem; primatum iam cum Graecis contendunt, qui ex Italia inferiori septemtriones versus pergunt. Saec. vi inter duos populos fit collisio. Circa a. dXXIV a. Chr. nat. Etrusci Graecam Cumanam oppugnant, a qua tamen, duce Aristodemo, profligantur. Clades Tarquinienium occasum signat; Latini foederis civitates occasionem nanciscuntur tunc Etruscorum primatum concutiendi; contra Latinos ultimus venit Etruscus Porsenna; sed cum extrema pugna ad Ariciam, in qua Latini a Graecis Cumanis, etiam tum Aristodemo duce, adiuvantur, res Etrusca cunctidit. Tum Romani Patres caput extulerunt, validiores facti quod nova Sabi-

norum immigratio graviter sinistrum Etruscorum latus minaretur. Haec igitur nova Latinorum gens peropportunum validumque patribus Romanis auxilium praestitit; ideo statim etiam in vita civili praevaluit. Id traditio innuit quum refert a Sabinis circa a. DIV Appium Claudium cum universa Claudia gente et quinque ferme clientum millibus Romam migravisse, novamque Romanam gentem condidisse; Appium vero Erdonium circa a. CDLX Capitolium occupavisse.

Ceterum Sabini hac illac in Italia media vagantur: Atta Clausus atque hic Erdonius id certo indicant: hi in Latium, alii ad Orientem Picenum incolunt, alii ad meridiem cum Marsis, Hernicis, Samnitibus, Campanis, Siculis denique permiscentur. Exeunte saec. vi, quum Etruscorum nomen declinat, Sabelli populi prevalent. Ad septemtriones et occidentem solem Etruscorum regionem penetrant, inter Faliscos usque ad Ciminum; ad meridiem vero hinc per fines Hernicorum ad vallem Liris fluminis descendunt, indeque ad Apuliam atque ad colonias Magnae Graeciae.

Illyrici denique eodem tempore pluries migrant, praesertim ad Italicas oras Adriaci maris, imo et Ionii.

At caeli solique condicio Latio favebat, quo Italiae gentes potiores confluebant, natura ipsa deductae. Ad orientem sunt Volsci et Aequi, ad septemtriones Sabini, ad occidentem Falisci et Etrusci. Tarquinii Roma expulsis, nec aliis Etruscis qui eis auxilio venerant, Porsenna Clusino aut Veientano, Mamilio Tusculano, quidquam perficientibus, illae etiam urbes quae ab Etruscis subactae fuerant, aut omnes aut pleraque a Romanorum imperio sese subduxerunt; ideo nomen Romanum eo facto ipso nonnihil deminutum initio fuit in ipso Latinarum civitatum foedere, si quidem in pugna ad lacum Regillum Roma cum iisdem contendit; non ut subigeret, sed ut sese defenderet utque patria sua

tueretur iura: praevaluit tamen, at postea et sensim sine sensu. Nulla suppetunt documenta authentica foederis Cassiani, quo, inter cetera, constitutum iam fuisse ius connubii et commercii inter omnes Latini foederis civitates; utrumque tamen id ius nonnisi serius constitisse constat successive cum singulis civitatibus. Foedus igitur Latinum foedusque Latinorum cum Hernicis antiquissimum est, exstititque iam saeculo saltem v; id enim natura ipsa rerum postulat.

Feri populi Latio imminebant: arcendi erant fortes Sabini, immanes Aequi et Marsi, cultiores strenuique Etrusci. Falerii propugnaculum Etruscorum erant Sabinos versus; Feroniam simul Latini Sabinique mercatores convenient.¹ Sabini nunc benevolo (Atta Clasus an. DIV), nunc vero hostili animo (Erdonius a. CCCCLX) excipiuntur; sed post annum CDXXXIX nullum amplius cum Sabinis bellum commemoratur usque ad an. CCXC, quum bello subacta est Sabina superior. Minaciores Aequi et Volsci e montibus imminent. Aequi Arionis vallem descendantes fere quotannis populantur agros Albae, Ariciae, Lanuvii. Inter Latinos Aequosque praecipuae urbes erant Tibur et Praeneste: cum utrisque saec. v Latinum foedus et Roma acriter contendit. Hernici eminentiores montes occupant; Hernicae urbis praestabant Anagnia turrita et Frusino et Ferentinum; fortissima, strenuissima gens Sabellica, imo Marsica, quae Volscis infestissima fuit; Latinis autem amica.

Traditio aciem omnem convertit in unam urbem Romanam; at simul videndae sunt ceterae quoque gentes, immigrationesque illae novae, quae toto saec. vi et v faciem ethnicam Italiae non parum commutarunt; quorum ultima eaque ferocissima Gallica fuit, a qua nova Urbis exorditur historia.

SYLVIUS ROMANI.

¹ DION. HAL. III, 32.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De dupli negatione

Duae negationes altera alteram elidunt.

EXEMPLA: *Neque* vero *non* eadem ira deorum hanc ei iniecit amentiam — Aperte adulantem *nemo non* videt (CIC.) — *Nemo* Arpinas *non* Plancio studuit (CIC.) — Athenienses Alcibiadem *nihil non* efficere posse decebant (CORN. NEP.) — *Nullus* est labor quem *non* longinquitas temporis minuat ac molliat (CIC.) — *Nemo* est qui *non* equo quo consuevit libentius utatur, quam intractato et novo (CIC.) — *Nemo* est tam agrestis quem *non*, si ipsa minus honestas, contumelia tamen et dedecus magnopere moveat (CIC.) — *Neque* eorum quisquam *non* cum virtuti Milonis favet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat (CIC. Mil., I, 3) — Quo minus igitur honoris erat poëtis, eo minora studia fuerunt, *nec* tamen, si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, *non* satis Graecorum gloriae responderunt (CIC., I Tusc., II, 3) — Male facere qui vult *nunquam non* causam invenit (PUB. SYR.) — *Nulli non* ad nondum satis virium est (SEN.).

De interrogatione absque voce interrogativa.

Interrogatio saepe sono vocis solum intelligitur.

EXEMPLA: Parum habes publica impietate furere, nisi etiam privata lapsus fueris? Unus tibi Romanorum videlicet Quintius placet, in quo sceleste exerceas arma, cuius penatibus et honoris vicissitudinem et salutem tuam debes? (VAL. MAX., X, 1, 3) — Tu etiam ingredi illam domum ausus es, tu illud sanctissimum limen in-

¹ Cfr. fasc. sup.

trare, tu illarum aedium dis penatibus os impurissimum ostendere? (Cic., *Philip.*, II, 27-28) — Is ullam ab sese calamitatem poterit deprecari? (Cic., *Verr.*, II, 1) — Si quem tuorum afflictum moerore videbis, fasciculum ad nares admovebis? Incendes odores? (Cic., *Tusc.*, III, 18) — Quum ipse te veteris amicitiae commonefaceret, commotus es? (Cic., *Ad Her.*, IV, 33) — Haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? (Cic., *Mil.*, II, 37) — Non pudet physicum, id est speculatorem naturae, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? (Cic., *Nat. deor.*, I, 30) — Qui cum hoste nostro cominus in acie saepe pugnaverit, qui se saepe telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit, is, nulla conditione, huius civitatis praemiis affici possit? (Cic., *Balb.* 9) — Tu animum poteris inducere contra haec dicere? (Cic.) — Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? (Cic.) — Ego tibi irasperer? Ego te videre noluerim? (Cic.) — Si te rogavero, non respondebis? (Cic.) — Tu apud patres conscriptos contra me dicere ausus es? (Cic.).

S. Leonardi in Helvetia

J. Iss.

CERTAMINA POËTICA

Certamen Ruspantinum

Studium Urbis, die xxx sup. mens. Decembr. MCMXL, novum certamen poëticum latinum ex legato Theodorici Ruspantini indixit, legibus quae sequuntur:

I. Qui in certamen descendere cupiat, is ante diem trigesimam m. Iunii MCMXLI unicum carmen latine exaratum, non minus quinquaginta versibus constans atque dactylographic exscriptum, suo sumptu mittat ad Praesidem Collegii litterarum et philosophiae in «Romana Studiorum Universitate», cum nota: «Praemium Ru-

spantinum». Unumquodque carmen singulari sententia distinguatur, iterata super involucro, quod, sigillo munitum, nomen et domicilium auctoris intus continebit, una cum documento, de quo inferius (num. III).

II. Coetus trium virorum a supra dicto litterarum et philosophiae Collegio delectus, involucra tantum aperiet et sententiae carminis victoris respondentia, et carminum, post illud, quae meliora iudicata fuerint; ita auctorum nomina cognoscetur. Praemium unicum et individuum erit, exque iudicio triumvirorum, licet numero plurium et non uno animo emisso, nulla dabitur provocatio.

III. In certamen tum Itali cives tum exterarum gentium, dummodo Italicae non infensarum, neve ex Iudaica gente orti, descendere poterunt.

Itali cives in involucro sigillo munito, de quo superius (num. I) includere debent documentum rite confirmatum, comprobans eorum inscriptionem «Parti nationali Fascium» vel iuvenili alicui Fascium organo.

IV. Coetus singula carmina ad certamen missa in examen revocabit; definiet quae ob seram exhibitionem aut vitium aliquod excludenda sint, per comparationem iudicabit, meliora proponet, optimoque praemium assignabit, si praemio dignum reputaverit.

V. Praemium libellarum italicarum 3250 victori a Studio Urbis solvetur.

VI. Coetus operis sui rationem breviter reddet, quae publici iuris fiet.

*Casta placent Superis; pura cum mente venite.
Et manibus puris sumite fontis aquam.*

TIBULLUS.

Nec domus nec Respublica stare potest, si in ea nec recte factis praemia exstant, ulla nec supplicia peccatis.

Cic., *De natura Deor.*

HORAE SUBSECIVAE

I

VERA GAUDIA

Mihi autem adhaerere Deo bonum est.
(*Psal. 72-28*)

*Iesu revinctus, sollicitudines
saecli molestas aequore mergere
tradam Notis; quae trax volutet
pectore Sarmaticus tyranus,
quid Rex Achivus cogitet unice
securus! Ecquid proficit anxiis
torquere curis pectus? ite,
ite procul stimulisque corda
vexate fluxis saecli inhiantia.
Felicioris me sibi gaudia
vinxere vitae; hac spe beata
decipitur pia mens dolorum.*

II

MOMENTA

*Tempora me puero fingebam laeta futura,
tempora at ecce senex acta beata voco.*

*Cuncta sepultra ferunt insculptum: In pace
lquiescit!
Mors homini pacem scilicet una dabit.*

*Vitae opifex Iesu, venisti assumere mortem,
ut fieret nobis dulce subinde mori.*

*Christe, Patris Verbum, cur Virginis abderis
[alvo],
cum tibi sit parvus stellifer ipse polus?
— Scilicet est Mater nitida rutilantior aethra,
praebuit et solium pulchrius Ipsa polo.*

*Cum peperit Christum, ditata est hospita mater,
pulchrior et nituit virginitatis honor.
Qui recipit Christum sub egeni veste latentem,
non patitur damnum, dona sed alta feret.*

HIRPINUS.

COMMUNIAE VITAE

De tabaco nonnulla

Audin', lector quae circa perstrepunt?... — Cur morimur? — Quia tabaco utimur! — Cur vivimus? — Quia utimur tabaco! — Insuper eo perventum est, ut apud multos haec invaluerit sententia: Ecquis es et in cute et intus? — Da videndum tabaco indulgentem, et hominis indolem explicabo et mores!

Atqui sentientes huiusmodi non ira, non studium concitat; experientia quemque docuit, et quisque loquitur iuxta doctrinam, sive hanc propria Pallade adeptus sit, sive aliena sibi compararit. Balatrones, fatui, buconesne utrique? Absit. Recte ne omnes, dum contraria promunt loquentes et iudicantes dicam?... Ubi de vita ac de morte agatur, non exigam agi rem puto. Hinc mihi postulo in limine, quod cordatus homo pariter et concederet et postularet; scilicet «ne quid nimis!».

Est modus in rebus; sunt certi denique fines. Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

De usu, non de abusu ago. Cibus ipse potusque, si ultra quam par sit stomacho ingerantur, mortiferi sunt; medicamina ipsa venenum.

Duplex autem tabaci usus. Ad medicamentum alter, alter vero ad voluptatem.

Medendi virtutem nemo nicotianis foliis negabit, quae singularem vim sibi vindicant tum in arcendo pestilentiam aëris, tum in irritandis glandulis oris et saliva provehenda, tum in solvenda pituita, tum in sedandiis doloribus praesertim dentium, tum in excitandis nervis cerebri, tum in exterminandis microborum centuris, quae os, guttur, pectusque invadunt. Quid ultra?... Ad delicium vero quod attinet, omnia brevi comprehendam quum tabaci usus, sive fumo, sive pulvere, iudicatus

iam inde sit : *Otium in negotio, et negotium in otio.*

Quapropter, sive medici iussu, sive delectationis causa tabaco utaris, praecipue fumum aspirans, haec tibi sint veluti Galeni et Aesculapii paecepta. Dedit Scholerius :

I. Ne iejunus fumo des operam;

II. Ne laborem in gravem incumbens, nempe remigans, currens, birotam adagens, et in proximis paribusque, fumo indulgeas ;

III. Ne fumum per nares emittas, qui Gallis deliciosus est mos, sed per labra reddas, totumque reddas toties, quoties absorbueris ;

IV. Ita fumo potiaris, ut fumus oculos non afficiat, quamvis levis; propterea potius quam convolutis tabaci foliis, utere vasculo illo, quod *nicoturam* latine non immerito, puto, appellaverimus, italice *pipa* nuncupatur, at longiori addito fistulae ;

V. Si quando nicotianis foliis convolutis usus fueris (*sigarum* vulgo dicimus) non integre, non ad finem consummabis, sed ubi in cinerem ultra rei dimidium absumperis, proiice abs te. Quicquid enim virulentum e nicotine est, ad extremum penes labra convenit, et congregatur ;

VI. Medicum consule ut iuxta necessitatem, opportunitatem, viresque corporis facias ; nec minimi momenti erit etiam ediscere speciem tabaci, quae apta sit, et quantum quotidie sit absumendum.

Haec ubi feceris atque servaveris, emolumenti e tabaco tibi erit multum, nocimenti nihil.

Quum autem ex hisce pateat cuivis non modo impune, sed et deliciose tabaco fruicere, omnis cura ponenda est, ut ipso fruamur absque periculo. Atque id Societas Neo-Eboraci pluribus iam abhinc annis constituta cavere memini scite, meo iudicio, atque ingeniose. Haec enim, tabaci folia apta comburens in fornice, per-

fistulas fumum in singulas domos distribuebat, ibique clavis quaedam erat, quae fistulæ responderet, cui calamus inserebatur, atque inde suo pro lubitu unusquisque fumum omni carentem vitio, venenoque omni expoliatum, et ferme frigidum attrahebat. Aderat pone clavem parva enumerans machina, machinae instar, quae fluidum computabat, quod *gas* dicimus, ad lucem excitandam; quare, sine fraude ulla et Societatis et utentis, quisque voluntati suae satisfacere poterat.

Gustavus Blan Berolinensis, mathematicus vir, ut pericula arceret, quae a ferendis flammiferis, ad incendendam nicotianam frondem convolutam, saepe oriuntur, machinam extrixit apud vendidores, cuius esset munus, apposito asse, non modo tabacum illud offerre, sed et accensum praebere; incendebat autem electrica vis intus inclusa, quae exeuntis *sigari* caput percelleret exardens. Nescio an haec etiam nunc sit illic in more.

Si ferri-sulphuri lotione, at parca, tam docta, manu aspergantur tabaci folia, quae postea arescant, et convolvantur, suavissimum una dabunt naribus fumum, palato saporem. Huiusmodi autem inventio nem casus potius quam ingenium sibi vindicat. Quum enim Camillus Bensus de Cavour gravissimum quid scriberet, a rege appellatus, maturavit abire ad vocantem; at operis caligine plenus, *sigarum*, quem in labiis accensum gerebat, depositus, nihil de loco, in quo deponeret, cogitans; forte super atramentario, ita porro ut in atramentum infunderet. Tota die a loco abfuit. Qui autem domesticus mensam scriptoriam curabat, iuxta meridiem revisens, *sigarum* ex atramentario abstulit, ac prope in aerea patina, ad hoc apposita, collocavit. Sequenti die ubi Camillus rediit, quia vero aestas erat, tabacus aruerat, *sigarum*, quem liquerat, iterum succedit operam fumo daturus, uti scribens plerumque solebat. Obstupuit, odore et sapore singula-

ribus delectatus, et novae curiosus rei Pi-riam in Taurinensi athenaeo chimicae magistrum accivit, qui tabacum scrutatur. Hic atramenti, quo imbutus fuerat, etsi vestigia non novit, reperiit tamen, quae in atramento erant sulphuri ex ferro vestigia. Rem retulit. Mox tabaci folia, sulphuro ferri rorata plurima convoluta sunt, cumque haec placuissent, in usu vernalis posita, et *sigaro* Cavourii nomen fecerunt.

Anglicus denique civis haec de moribus eorum, qui fumo indulgent, se cognovisse experientia dicit. Qui dentibus *sigarum* tenet neque curat utrum succensus nec ne sit, homo est audax, computator, et interdum etiam periculosus. Qui lentes fumo indulget, et saepe folium ex ore tollit ut varias fumi figuræ, nubeculasque multiformes contempletur, beatus homo est sorte sua, probusque. Qui interrumpit saepe fumum, et *sigarum* modo sumit modo deponit, concitus tamen semper et subitaneus, homo est, cui non mens, sed quae circum omnia consilium dant ancipi et incerto. Qui cum *sigaro* ludens fumo potitur, tranquillus, totusque in fumo est, habendus homo optima valetudine utens. Hic autem semper agit, ut quo possit erigit *sigari* caput accensum, quasi ut oculi ipso oblectentur. Contra vero, iudicandus erit pravus ac turpis, sensibusque inseriens, nec sensus excedens unquam, si quis *sigarum* neque sursum neque deorsum teneat, sed labris aequum. Cave ab homine, qui *sigarum* dentibus mandet; instinctui rabiei, nervis obediens est, praeceps indole superba et iracunda. Qui demum ita habet, ut saepe necessum illi sit accendere, et iterum accendere, quasi negligens fumum, hic nobilissimus animo, disertus eloquio, magnus corde ducendus.

Lectores meos hortor ut perspiciant, animadverstant, siqua de iis, quae notavi, vera, et factis respondentia repererint iudicia.

P. AL.

Epistolare sociorum commercium

ALEXANDER AURELJ clarissimo viro VALENTINO FEHÉR s. p. d.


Ad me in Abbatiali Farfensi collegio humanas litteras adolescentulæ nunc tradenter, *Almae Romae* Moderator ea misit, quae, sodalis clarissime, in me scripsisti. Et ego non in omnibus assentior :

I. Nam de Bernardo nunquam, sed de Alcuino, de Ratramno, de Rabano etc., ea sensi et scripsi, quae tu accusasti; et aequo bonoque iure sensi. De Aquinate etiam eadem sensi, sed tantum conferens eius poëticas elucubrationes cum Horatio, non cum Cicerone, non cum Caesare. Quis adfirmaverit nostrum Aquinatem latinum sermonem nisi cum lacte, tamen ab unguiculis non suxisse? eumque *diversas verborum latinorum subiles differentias sententiarum ignoravisse atque semper FERE UNO EODEMQUE VOCABULO usum?* Respondeant Theologi, qui optime noverunt, quo acri subtilique ingenio Aquinas de differentiis verborum discepavit.

II. De ablative absoluto, quem ambiguitate peccantem affirmavi, asseris *eum nobis fortasse ambiguum esse.* Id incusare volui atque id satis est; quid nobis refert de Romanis, qui non sunt? Non in hodiernis sermonibus haec merito improbata ambiguitas invenire est. Nescio cur hoc latini sermonis vitium negari possit. Tu opinaris *postquam Romani latinam linguam loqui desiverunt, neminem posse eam tam perfecte, tam absolute perdiscrere...* Cur? NON ENIX EST LINGUA VIVA!

At contra, Fehér mi, in nostra matre Ecclesia lingua haec vixit et vivit, Vixit quoque in Petrarcha, vixit in Vida, vixit in Pontano, vixit in Ficino, vixit in sodalibus nostris clarissimis, quorum Iosephum Morabito, de re candidum iudicem rogo.

III. Verum est antiquissimos scriptores Christianos non Ciceronis elegantia sed



vulgari sermone usos esse. Nego! Vulgus enim suo quodam dialecto utebatur cum Ciceronianis elegantis nihil commune habente, et si Cicero orationem perpolitam «pro Marcello» in Comitio et Foro, non in Curia recitavisset, ne unus quidem e popularibus eum intellexisset. Christiani scriptores non VULGARI SERMONE, sed sermone VULGO ACCOMODATO sapienter usi sunt.

Denique, si Meropii Paulini carmen nostris auribus melius quam Vergili carmen sonuit, quid amplius, quid venustius quae ram?

IV. Non irascar, non tibi succenseam quum nonnulla vitia exprobaveris; nam ego non quae tu cogitavisti significare volui, sed quae ego cogitavi, qua re, ut meam sententiam significarem iis verbis uti debui, quibus sum usus.

Vocabulum «Christianus» nunc parva, nunc magna littera incipiens inconstantiae esse concedo.

Salve et vale.

Dabam Farfae in Sabinis.

A. AURELJ.

Selecta ex bibliothecis et archivis

Anatomica humani corporis synopsis¹

Quamquam vero saepe in superioribus de anatomicarum rerum obscuritate et perplexitate conquestus sum; nihil tamen aut obscurius ad investigandum, aut inextricabilius ad demonstrandum dicendumque philosophis ac medicis oblatum est, quam cordis machina, motus ac vires, quibus explicandis in tanta licet brevitate sermonis, aliqua fortasse cunctis minime obvia delibavero. Est autem cordis machina fortissimus et cavus musculus, ex quo cavi pariter illius tendines, nimurum arteriae venaeque dependent, quae per totum quaquaversum corpus distributae et inter se

inosculatae, tritas circulanti sanguini semitas instruunt. Arteriae vero ad cerebrum pertingentes, ubi desinere videntur, ibi intercedente glandula in nervos abeunt, ex quibus per viscera artusque diductis, atque cum eorum arteriis venisque varie complicatis ac solidescitibus, diversarum partium textura villosa, fibrosa, membranea, tendinea, laminosa, cartilaginea, aut ossea inchoatur atque compingitur, ut propterea sapientissimus Hippocrates² circulationem quamdam non liquidorum modo, verum etiam solidorum intellexerit, quum ait: «Vena per corpus diffusa — (venae autem nomine arterias etiam comprehen dit) — spiritum, et fluxum, et motum exhibit, ab una multae germinant, atque haec una unde oriatur, et ubi desinat, non scio; circulo enim facto, principium non invenitur». Et quidem filamenta tenuissima, in quae nervi omnes suis induiti membranis, extra cerebrum desinere videntur, hic illic diversimode cum sanguineis vasculis a corde procedentibus intexuntur, et secundum varia contextus genera (quae a diversis tum inclinationum aut renisum gradibus, tum interceptorum liquidorum crasibus ac mixtionibus oriuntur) diversa quoque in membranis, musculis, ossibus, visceribus reliquisque glandulis firmitatum, structurarum viciumque genera profiscuntur.

Motum autem cordis omnino muscularum esse contendo, quum hoc a ceteris musculis voluntati obsequentibus discrimine, quod naturalis ille sit, et alterne, iniussu etiam nostro, perficiatur, cuius causam partim ab arteriis venisque coronariis, partim a nervis, peculiari quodam itinere, modoque cordis substantiam subeuntibus, deducimus.

Denique cordis vires eiusque tendinum, quum in extrusione, ne circum pressione positae sint, ingentes esse non dubitamus: superant siquidem repugnantiam non tan-

¹ Cfr. fasc. sup.

² De ossium natura.

tummodo totius molis sanguinis, quae in quolibet animali invenitur; sed superpositarum etiam et obiectarum carnium, quae propria gravitate et coalitu sanguineis, quasi dixerim, cuneis magnopere ac necessario renituntur; quinimo non levia etiam pondera membris addita pulsu sanguinis a corde extrusi elevantur; unde fit ut, sauciata quaelibet arteria, crux non effluat modo, sed impetu ingenti longe prosiliat.

Sensuum certe inopes atque ingratissimum animi videremur, si suis hic laudibus minime ornaremus in primis Harvaeum propter sanguinis circulationem non solum indicatam (quod olim magnus Hippocrates, et prioribus temporibus Columbus et Caesalpinus, tandemque Paulus Sarpa non multo ante praestiterunt) sed plene detectam demonstratamque; mox etiam Lowerum, deinde Bellinum et Borellium propter eamdem illustratam, atque illinc deducta eximii usus corollaria. Etsi enim magnis acceptis beneficiis paria referre arduum est, fateri tamen, per quos profeceris, candidi semper gratique animi officium est. Hi autem summi viri, quum animadvertisserint, Harvaeo duce, sinistram cordis cavitatem duas circiter sanguinis uncias continere, atque observassent præterea universam eiusdem sanguinis molem in consistentis aetatis hominibus libras 18, 20, aut 22 non excedere, ac tandem per singulas horas plus minusve ter mille pulsationes, hoc est dictarum unciarum sanguinis extrusiones perfici, facile statuerunt, singulis horariis spatiis libras circiter quinques centum per cor in arterias transfundit. Quod idem est ac si dicamus suppuratione facta, molem sanguinis universae moli aequalem, singulis horis non terdecies, ut Borellus, sed plusquam vices cordis itinera remetiri.

(Ad proximum numerum).

JOANNES M. LANCISI.

ANNALES

Europaeum discriminem

Postquam heroica virtute Itali hostium numero abunde maiori in Africa per fere integrum mensem Bardiae obstitere, recedere coacti sunt, pariterque deinde ab oppido Tobruck. In mari vero, pugna cum Anglis commissa inter Cossuram et Africam superiores evaserunt.

Hi Europaei hodierni belli superioris mensis eventus peculiari nota digni; nam hinc inde nocte, ac interdum etiam die, continuatum est igniferis glandibus adversariorum loca petere, et a consociatis Germanis Italique navgia, res frumentarias aut bellicas machinas in Angliam importantia, submergere.

Nec defuit alia Hitleri oratio, habita octavo anniversario recurrente, ex quo regimen «nationale-socialista», quod vulgo nuncupant, rerum summa in Germania potum est, ut confirmaret omnem actionem suam in eo uno positam esse, nempe in Versaliensis foederis abrogatione, quae profecto hoc anno MCMXLI fiet, per novum eudemque magnum Europae ordinem in populorum consensione atque conciliacione constitutum.

Priusquam de re claudamus hodie rivos, mentionem non omittemus generosae illius Germanicae in Gallos actionis, traddendi nempe, ut prope patris Lutetiae Parisiorum in posterum quiescant, ossa infelicis illius Ducis de Reichstad, Napoleonis filii, qui iuvenis admodum Vindobonae mortuus ac sepultus fuerat.

Ex ultimo Oriente

Contra Ciang-Kai-Shek, Sinarum novi gubernii supremus moderator atque Republicae Praeses dictus a Iaponia est Wang-Ching-Wal, qui foedus cum Iaponia feriit, communis hac mente, dictarunt, ut esset communis laboris promissio

vem fere annorum, iam mortuam, sed accurate compositam atque dividua coma candidaque veste exornatam, velut si ita paratam ad festum iam ante praemio propositum allatura esset. Neque puellulam gestabat porrectam ut mortuam, sed prope exstantem, in ulna sedentem, pectusculo ad pectus adipicatum, perinde ac si viva esset; at hinc exilis manus, cereae colore infecta, inanima quadam gravitate pendebat, hinc reflexum caput in humero matris rigidius quam in sommo positum esse videbatur; matris, inquam, nam nisi etiam duorum vultuum similitudo testimonium perhibuerit, id ex altero eorum aliquid sensus adhuc retinente manifesto apparuisset.

Tum unus ex vespillonibus habitu turpis accessit, ut puellulam ex matris ulnis exciperet, non sine tamen insueta quadam reverentia atque aliqua nec simulata haesitatione. At mater, aliquantulum recedens, nihil tamen vel indignationis vel contemptus vultu proferens: — « Nequaquam — inquit — noli in praesens filiolam tangere, ipsa in carro componam, en tibi quod habeo ». Atque haec dicens manu in vespillonis manum crumenam posuit. Deinde: « Sed hoc unum promitte — inquit —: ne quid ex ornamentis adimas filiolae, nec quemquam id audere patiaris; Caeciliolam, quaeso, qualem nunc vides pone sub terris ».

Continuo pollinctor ille manum pectori admovit; deinde sollicite atque obsequenter, magis nova captus pietate quam necopinato praemio incitatus, studuit ut corpusculo aliquem locum in carro daret. Tum mater in fronte filiam deosculata est, atque quum in carro diligenter aptavisset, ut si in lectulo componeret, candidoque velamine corpusculum operuisset: « Vale — inquit — Caecilia, in pace quiescas; prius quam advesperascat et nos veniemus, ut semper deinceps simus una tecum. Sed iam pro nobis ora, pro te mater et pro ceteris orabit ». Rursus inde vespillonem alloquens: — « Vespere — inquit — hac cum

carro transiens, domum venies, ut me quoque, nec solam, efferas ».

Haec quum dixisset domum ingressa est, ac paulo post ad fenestram venit ulnis alteram filiolam natu minorem complectens, spirantem quidem, sed mortis iam notis facie infectam. Tum diu spectavit tam indiginas filiae exequias, donec carrus profectus est, donec oculis cernere potuit; postea intus se retulit. Ac quid aliud facere potuit nisi superstitem filiam in lectulo collocare eique se arcte iungere, ut proxima utramque simul acciperet mors?

Non aliter summo in culmo hians flos cecidit una cum flosculo adhuc gemma clauso, quum prati herbae omnes sunt transente falce exaequatae.

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

In sedis nostrae recenti translatione, malo casu factum est, ut exemplaria nonnullorum fasciculorum, quae superfluerant et ad ALMAE ROMAE collectiones integras efformandas servaveramus, deperdita fuerint. Haec sunt: Ann. XVII (1930) fasc. mens. Ianuarii; Ann. XX (1933) fasc. mens. Iulii,

Octobris, Novembris et Decembris; Ann. XXVII (1940) fasc. mens. Ianuarii, Februarii et Aprilis.

Si quis Sociorum aut Lectorum nostrorum exemplar aliquod ipsorum fasciculorum habeat, neque ei grave sit illud a se abalienare, gratissimum nobis fecerit si, pro sua humanitate, nobis reddere voluerit.


A. R.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





Ann. XXVIII

Romae, mense Martio MCMXLI

Fasc. III

FABULAE

Leo et Vulpes

Leo senio confectus, quum vires non suppeterent ad victimum parandum, callidum cepit consilium sustentandi vitam. Itaque in antro, quasi periculoso morbo corruptus, decumbens, quum ad ipsum visendum passim animantes reliquae advenirent, prehensas illas devorabat. Atque ita magna bestiarum multitudine a Leone absumpta, accedit tandem et Vulpecula ad antrum et ante illud substitut haesitans atque circumspectans. Tum Leo, quid cesseret, cur non adeat ad se, rogat. At illa, id quod Horatius versibus retulit respondisse fertur:

*Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.*

Fabula docet prudentes ante pericula cavere sibi, et ea signa, quibus mala portendantur notare, et haec effugere.

Paroemiae sive adagia

DARE VENIAM CORVIS ET CENSURAM
COLUMBIS

Est apud Iuvenalem:

Dat veniam corvis, vocat censura columbas, ad significandum legum poenas in humiles quospiam exerceri et a quibus ob ingenii mansuetudinem aliquid emolumenti potest auferri; rapacibus ignosci.

Sumptum est ab apophthegmate Anacharsidis, qui hoc dicto elusit studium Solonis in conscribendis legibus, quemadmodum refert Plutarchus in Solonis vita: « Leges aranearum telis adsimiles dicebat, propterea quod in illas si quid levius aut imbecillum incurrit, haeret; sin maius aliquid, dissecat ac fugit.

Ad eamdem pertinet sententiam, quod in *Phormione* ait Terentius:

Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio:

Qui male faciunt nobis illis, qui nihil faciunt, tenditur,

Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.

SEQUITUR VER HIEMEM

Hoc adagio rerum vices significantur, necessario sibi succendentium; ut si quis suadens in rebus afflictis animum, fulcendum spe meliorum, adagium dicat, puto: « tristibus succedunt laetiora ». Ita Pindarus Isthmiorum hymno IV: « Nunc vero rursum post hibernam multiplicitum mensium caliginem, terra veluti purpureis florere ros ».

locosa

Amicus TUCCIO:

— Huius epistolae manus est horribilis: ne literam quidem interpretari valeo.

TUCCIUS: — O rerum amplifier! Vel asinus eam legat; cede mihi!

Magister TUCCIO:

— Cur externa die a schola afuisti?

— Quia graviter aegrotabam: putabam me ad mortem esse iam iam adductum.

— Quid?... Te vidi in bicyclula prope hac transeuntem...

— Profecto: ibam ad arcessendum medicum!

Aenigmata

I

Significo subolem non certo patre creatam: Sum sine litterula ventus ab imbre madens.

II

Priscorum Caesar gestabam sceptrum Quiritum. Syllaba praeficitur? Sum dea bellipotens.

Fr. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo- sita his respondent: 1) Nix, Pix; 2) Tensa, Tonsa.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

PIO XII SUMMO PONTIFICI

ALTERO EXEUNTE ANNO EX QUO PETRI SOLIUM ASCENDIT
OCCASIONE ALLOCUTIONIS AD PATRES PURPURATOS HABITAE
DIE XXIV MENS. DECEMBR. MCMXL

*Ceu delapsa polo vox tua, Pontifex,
nuper personuit fortiter auribus
desuetis procerum cum dominantium,
tum diro excidio gentibus anxiis.*

*Aeternae alloquo vox Sapientiae
conclamare tuo est visa, tumultuum
evincens strepitum, queis lacrimabile
bellum progeniem mersit Adamicam.*

*Te dicente, Pater, quinque volatili
vidi remigo tendere Caelites
aethram per liquidam, pacis et exsulis,
quo rursus niteat, fundere nuntia.*

*Primus prosiluit nomine VERITAS,
perfusus radiis ora micantibus,
clamans: Pestiferi parcite semina
in plebes odii spargere credulas.*

*Gens quaevis parilem novit originem,
quas Christus pretio sanguinis abluit;
irae cur, miseri, pabula porgitis
verbisque aggeritis falsa dicacibus?*

*Alter, qui facie ridet amabili,
audit CERTA FIDES, quae socialiter
tutatur trepidos iactaque foedera
custodire docet, fallere nescia.*

*- Pax - inquit - minime stat, pavitantibus
incursus animis armaque perfida
semper finitimi, quaelibet impio
confisi arbitrio pacta refringere.*

*Praeco IUSTITIAE tertius advolat,
aspectu rigido fronteque nobili,
expers usque doli, fortior omnibus
mentes illecebris illaqueantibus.*

*- Ius esto populis inviolabile! -
indicit graviter; - funditus excutit
convictum socium, crimen et impium
patrat qui officio sufficit utile. -*

*Quartus pone sequax dicitur AQUITAS,
compar iustitiae, paulo at amicior,
extirpare sagax germina litium;
et supplex iterat: - Gens opulentior,*

*exclusis aliis, quae sibi comparat
orbis divitias insatiabilis,
se contra populos concitat aemulos;
iussu terra patet Numinis omnibus!*

*Postremum rutilat flammea CHARITAS,
Christi quae patulo pectore prodiit,
gentes dividuas foedere libero,
armis posthabitatis, impigra cogere.*

*Mox austera tonat: - Mutuus emicet
stirpes inter amor! Pone superbiam,
quae praestas aliis robore, et abstine
damna inferre minax semper inermibus!*

*Haec vidi, et fremuit! Qui moderamini
gentes imperio iam resipiscere;
aures paciferis dedit nuntiis,
festinate Pii nutibus obsequi.*

*Quid, si respuitis iussa facessere
Patris? consilio si violentiam
praeponetis adhuc?... Disice, gentibus.
Iesu, supplicium protinus ingruens!*

*- Vae mundo! - reboat clamor ab inferis,
vae mundo! - adveniunt fata novissima!
Obtectus tenebris prodit et angelus,
cui triste exitii nomen APOLLYON!*¹

V. GENOVESI, S. I.

HISTORICAE NOTAE

**Quaenam Italiae fuerit condicio ab
ineunte saeculo v ad Gallorum irru-
ptiones.²**

Graeciae artes et cultus in Italiae parte quae Magna Graecia appellata fuit, saeculis vi et v ita emicuere, ut magis nunquam, ne in ipsa quidem Graecia. Ibcus simul et Stesichorus, Empedocles et Epi- charmus, Gorgia Leontinus et Lysis aliique eloquentia praestantes; Pythagoras, Xenophanes, Parmenides magnae notae philosophi. Ceterarum omnium artium splendor mirus, cuius praeclara vestigia exstant in ruinis Agrigenti, Selinuntis, Pesti, Naxos etc.; quarum litterarum, artium caetusque vitae germina non extranea Etruscis fuere, per quos nonnihil, exeunte regno, ad ipsam Urbem, saltem saeculo v, ut diximus, devenere. Traditio legis decemviralis, leges graecas imitantis, influxum

¹ Habant super se Regem angelum abyssi, cui nomen hebraice Abaddon, graece autem Apollyon, latine habens nomen Exterminans (Apoc., 9, 11).

² Cfr. fasc. sup.

certe sapit graecum; at non minus quam Magnae Graeciae bonis tunc floruerunt artibus urbes Etruriae: Clusium, Urbevetum, Perusia, Cortona, Aretium, Faesulae; deinde Cere, Tarquinia, Vetulonia.

At quaenam origo prima, quaenam historica evolutio foederis Etrusci? Quaenam historica commercia inter Etruscos et Romanos?

Ex Etruria Romam devenere cultus religiosi non pauci, ex Etruria usque ad exeuntem Rempublicam homines praeclari: quae a Graecis, quae a nordicis populis hauserant Etrusci, huc, in Latium conduxere, atque in hunc locum, quem — teste Livio — «non sine causa dii hominesque condendae Urbi elegerunt saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex Mediterranei locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipientur, mare vicinum ad commoditates nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionem Italicae medium, ad incrementum urbis natum unice locum». ¹ Quum Magnae Graeciae artes senuerint, quum Etrusci a nordicis incursionibus oppressi fuerint, quum vetusti rudes fortisque Sabelli suavitate caeli et ubertate terrae novarum sedium emolliiti fuerint, quum omnium animos fuderit commune a Gallis invadentibus periculum, tum demum Roma periculum procul refundet, unaque facile eminebit, quasi omnium virtute sua heres constituta; tum Roma tam humilibus exorta natalibus, quae saeculis VIII et VII et VI sub regibus pomerium fere non transiluit, atque nonnisi una ex multis foederis latini civitas fuit, existet prima; incursantes, oppugnantes Aequos et Volscos a foederis finibus arcebit, propugnacula constituet Velstras et Signiam et Coram.

Iuvenis Respublica foedus Latinum tueretur, imprimis a Volscis et Aequis, inter quos deducit colonias (Labicos, Bolam, Vi-

¹ Liv., V, 54, 4.

telliam); Hernicos in foedus adlegit, quos una simul cum Latinis dicit adversus Etruscos et Faliscos, ut ripa Tiberis dextera potiatur, quae ripa Veientana et post Veios captos dicta est. Quod ut fieret, oppugnanda omnino erant Veii et Fidenae. Inde longum illud bellum, quod non potest inter fabulas ablegari eo quia non omnia historice possint comprobari, aut quia sapiat bellum Troianum; quod Veientanum bellum collocari tuto potest inter saec. v et iniens iv, post annum CCCCVI, quum populi finitimi, cultus denique vertice attincto, declinant et concidunt; Roma vero iuvenis caput extollit. Quum Roma Veios oppugnat, Etrusci eisdem auxiliari non possunt cum quia debiliores dissolutis moribus facti, cum quia Galli imminent atque incurvant a valle Padana. Cere demum, licet Etrusca, ab Etruscorum foedere abstracta iam fuerat ad foedus cum Urbe: tempus itaque iam erat oppugnandorum Veiorum: res ardua sane tum locorum natura, tum etiam cibariorum inopia. Ob expugnatam urbem cratera aureum Apollini voverunt Romani; quod si navis qua donum id vehebatur a Docaeis Liparensibus primum capta, amice dein Massiliam deducta est, profecto concludendum tum Romam iam et in Graecorum opinione permagni fuisse aestimatam.

Veiis captis, Romani veniunt ad Faliscos. Erant Falisci origine Siculi, aucti postea ex immigrantibus hinc Etruscis, inde vero Sabinis; suam habebant linguam suosque mores et deos, in amoenissima regione (nunc Civita Castellana), munitissima loci natura, atque uberrima; inde civium molliores mores, ut Romanis nequidquam obstiterint, sed ultro sese dederint. Ita Etruscorum corruit antemurale, opulentaque Etruriae arva ultra Ciminum montem patuere Romanis: Sarsina, Viterbum, Ferentum, Tarquinia, Volsinium, quod centrum fuit foederis Etruriae; sed ineunte saec. iv Volsinii finitimaque gente's cum

Romanis pacem viginti annorum pepigere. Iamvero post annum vel biennium irruunt Galli in Clusium, aliam Etruriae urbem, quae auxilium a Romanis expetit. Fatalis ita reipublicae Romanae cursus veluti interrumpitur: nunc pugnandum est cum barbaris; quibus mox debellatis, respublica eam quam cooperat perficiet solidabitque occupationem totius Etruriae. Tunc Latini et Hernici qui antea «socii» fuerant fient «clientes», brachia reipublicae praebentes: opulentae vero Etruriae atque Faliscorum urbes opes ferent ad Romanos exercitus instruendos, alendos.

* * *

Dilatatis exterioribus reipublicae imperii finibus, et interna vita oportunas subiit mutationes. Nuclei tres primitivi, Ramnenses Romulei, Titienses Sabini et Luceres Etrusci, augentur, nova Sabinorum adrogata iam gente Clausiorum (Atta Clausus), quacum et aliae connumerandae novae sunt gentes, quae aut e Sabinis aut ex Etruscis profectae, circa Urbem in collibus eodem ferme tempore (exeunte saec. vi) constiterunt; e quibus quae saeculo v magistratus in republica obtinuere quadraginta et una numerantur; numerus profecto non parvus, qui esset augendus si et illae haud paucae adderentur gentes, quae in Urbe clientelas constituere quorumdam civium Romanorum, aut Reipublicae ipsius. Nec omittenda gentes illae complures, quae victae deducebantur in Urbem non ut captivae essent, sed ut liberae, at extra Urbem in collibus finitimis, praecipue in Aventino, considerunt. Quo simul undique numerosiores in dies appellebant qui aut operas locaturi aut odia patriae effugientes Romanum petebant; ex his omnibus constituta plebs est iam sub regibus, aucta tamen magnum in modum primo reipublicae saeculo. Quae plebs novam veluti civitatem prope Urbem efformat, absorbendam dein in civi-

tatem plenam Romanam. Quum autem id serius factum est, tum veteres Romani, non sine quadam superbia sese a civibus novis distinguentes, *Patres*, *Gentiles*, *Patricios* appellant, vetito cum plebe connubio, ne contaminentur.

Plebs vero ibidem sua sacra constituit: ibi Cereris templum Aedili commissum: cum plebe externi finitimi populi primum coniuncti, quam maxime in dies avertabant a patriciis: ceterum crebrerrima bella id efficiebant ut plebis opera et auxilio Romani saepe indigerent tum in exercitu ipso, tum in commerciis, tum in operibus fabrilibus. Quod quo facilius assequerentur, plebi concedere debuerunt agros primum (lex Icilia de Aventino publicando), dein iura in dies ampliora, denique paria. Sub regibus Etruscis, qui nec patricii erant origine, nec cives Romani, alleviata fertur aliquatenus plebis condicio; sed iisdem pulsis, atque rursus invalescentibus patriciis, deterior fieri magis magisque coepit; exinde tumultus et secessiones.

Id tamen laudi dandum est plebi, quod semper a cladibus caedibusque civium abstinuit: secessiones, quibus res Romana in magnum pelleretur discrimen, plebis arma fuerunt, non tam ad honores captandos, quam potius ad libertatem vitamque civilem assequendam. Id munus princeps Tribunorum atque Aedilium; qui ad libertatem plebis plurimum contulere, quibusque admittentibus iam an. CCCCL «institutum est etiam ab iisdem consulibus, ut senatus consulta in aedium Cereris ad Aediles plebis deferrentur, quae antea arbitrio consulum suppressabantur vitiabanturque». ¹ Parta autem libertate aquatisque iuribus, plebis Tribuni manent, novaque obeunt munera domi militiaeque. Id per totum saec. v contendit plebs ut libertatem consequeretur; non tamen iis modis, qui potius ad graecana tempora sunt referendi, neque tanta iam tum cum potestate ut valeret in

¹ Liv., III, 55, 13.

exilium pellere Coriolanum aliosque sibi non nimis faventes: potestas tribunicia, initio parva, crevit in annos.

Profecto admodum difficile est dignoscere certa incertave in conatibus Sp. Cassii, Sp. Melii et plebis ipsius ad altiora contententis; id tamen extra dubium est plebem habitam iam tum fuisse uti nucleus civitatis, cum suis magistratibus, consiliis, sacerdotibus et sacris. Maximum procul-dubio fuit, ut, Praetorum loco, Decemviri legibus scribendis summam imperii detinerent. Quod si lex XII tabularum non omnia plebi peperit ad quae alacriter contendebat, si «nexum» in hac ipsa lege permanxit, si nonnisi serius ius connubii per plebiscitum Canuleium concessum est, tamen saeculo V plebs descendere per Tribunos coepit admissaque fuit vel ad supraena obeunda munera, antea ad Tribunatum cum imperio consulari, deinde ad Praeturam et Consulatum ipsum; quod praesertim effecerunt crebra cum finitimus bella atque Gallorum irruptiones.

Et sane inde factum est ut Romani unionem atque concordiam foverent, atque ut plebis opera vel maxime indigerent et ute-rentur; quumque ad hanc omnium animorum et virium contentionem non satis consulere visi sunt bini Praetores, qui exactis rebus creati sunt, ideo quum periculum urget, iam ineunte Republica, circa an. DI creator Dictator, cui uni ad breve tempus committitur et summa rerum et salus rei publicae.

En igitur civitas haec et parva Respu-blica appareat saec. V cum exercitu plane instructo: supremi magistratus appellantur Praetores, quasi prae-atores bellantis exercitus; constitutio vetus innovatur, novis rebus aptatur; curiae veteres cedunt novis centuriis; ordo gentilicius ordini militari cedit: itaque novus populus in exercitu fundit patricios et plebeios; et plebeis in exercitum assumuntur primi qui ex censu apti sunt oneribus militiae sustinendis. Re-

gulae gentiliciae in descriptione et constitutione populi succedit regula censuaria: inde populi distributio in classes, classium in centurias seniorum et iuniorum; classes coadunantur in tribus novas, quae, quem territoriales sint, distinguuntur a Romuleis, quae gentiliciae erant: Romuleae tres fuerent; novae vero viginti, et postea usque ad triginta quinque. Quae instauratio licet Tulliana dicta ac Servio Tullio regi adscripta fuerit, proculdubio multo posterior est, atque partim saec. V, partim postea tribuenda. Quidquid est, insequentibus saeculis centuriae mutationes subiere cum numero, tum etiam constitutione et indole. Itaque novae tribus excipiunt et veteres et novos cives, et intra et extra pomerium; imo et complures pagos, qui circum Romam erant. Novae tribus tributa solvunt exercitibus sustentandis; et sub Veiorum bellum conscribi coepit exercitus non patriciorum, non privatorum, non gentis, sed Reipublicae, in quibus plebs una simul cum patriciis pugnat et quandoque «imperium» assequitur, quum et plebei creati sunt consulum loco Tribuni militum consulari potestate (CCCC-CCCIC a. Ch. n.).

Militiae praesunt «Praetores»; sacris autem «Rex Sacrorum», cauto tamen ne regium averet imperium: ei adstant collegia sacerdotum et pontificum, — quorum primus, «Pontifex maximus», obnubilat demum et surrogat ipsum Sacrorum Regem, — quibus concredita et ius, et fas, et mores maiorum. Eo enim tempore iudicia civilia coram pontificibus agebantur; criminalia vero intra familiarum septa; maiora tantum, perduellionis nempe et parricidii, coram magistratu, qua exercitus duce; serius vero et ad privata iudicia trahi coepit iurisdictio magistratus. Sacerdotes ideo, in primisque Pontifices, moras custodientes maiorum, «normam» tradebant, ad quam civitas et vetus res publica erat regenda; ex qua norma, vel rectius a quibus normis, e quibus «leges regiae»

ortae sunt, nucleus primus legis XII tabularum fuit effectus. Sed ipsae leges XII tabularum diu penes unos Pontifices fuere, quousque Cneus Flavius, Appii Claudi servus, primus edixit «ius civile», et Tiberius Coruncanius, primus Pontifex Maximus e plebe delectus, publice ius promere ac docere coepit.

Societas Romana saeculi quinti artes reli-gionesque haurire iam cooperat a Graecis atque Etruscis. Castor et Pollux, atque imprimis Delphus circa id tempus Romam e Graecia transiere; postea Hermes, Hercules, Bacchus; atque an. CCCIL publica «lectisternia» celebrata sunt diis Graecis; templum autem Cereris tum primum ab artificibus Graecis fuit ornatum. Sed ampliora profecto atque praestantiora sunt quae exstant vestigia religionum et artium Etruriae, quae Romam post Veios captos advenere: signa, vasa, monilia, fictilia. Consortio autem civilis eam perfectionem hoc saeculo attigit, ut edi potuerit primus legum codex, legem dicimus XII tabula-rum, qui saeculo sequenti forte uberior factus est atque perfectior.

SYLVIUS ROMANI.

JOSEPHUS VERDI

XL RECURRENTE ANNO AB EIUS OBITU

Non Itali modo, sed cultae fere universi orbis gentes his diebus quadragesimum annum ex quo Iosephus Verdi fato concessit sollemniter celebrarunt. Undenam insolita haec temporis commemoratio? An animi tot curis, luctibus, odiisque fracti se indigere sentiebant spirabili aere refici, illoque profecto quem aurea musices aetas, cum Verdio et ipsa absoluta, praebere poterat? Verdius enim ultimus apud Italos fuit supremus cantus artifex, qui animos a terribus ad superna abstrahere valeret..

Longobardia tanto viro patria, unde et maximus proximae aetatis poëta noster Manzonius ortum nactus: oppido vero eius natali, obscurum ferme, Roncole nomen. Ibi summa adhuc pueritia, quum sacris inserviret, organorum vocibus captus, prima sibi adloqui concentuum oblectamenta persensit. Pertractus ea voluptate puer Caesarem patrem rogavit, ut musices numeris operam dare posset: qui, tenui, qua erat, ope familiari, cymbalum tamen, etsi usus tritum, filio emit. Magister illi primus Bai-strocchi, qui templi organum pulsabat, deinde Baressius mercator tibia ludere calidus, Trovesius denique, qui Busseto proximo in oppido turbae tibicinum praeerat. Adolescens brevi magistros antevertit, insolitusque auspiciis attentis, Mediolanum, statuto a curionibus aere, missus est, ut musices Lyceum adiret. Verum qui Lyceo praeerant, inito a iuvene periculo, aditum negarunt, ut, Lavigna magistro, Mediolani studia dilecta sibi privatus Iosephus noster perfecerit. Rediens post biennium ad suos, per provinciam notissimum nomen eius evasit, tibicinesque patrios ipse sua vice moderatus est. Anno MDCCCXXXV Margaritam Baretti uxorem duxit, atque triennio post, patrium deserens oppidum binaque secum ferens musicalia quae iam scripserat dramata, Mediolanum, ut ea publice proponeret, iterum migravit. Profecto quum anno MDCCCXXXIX Novembri mense in «Scalae», quod dicitur, theatro, prima huiusmodi fabula ageretur, cui titulus *Ober-tus comes Sancti Bonifacii*, plausus quidem auditorum non defuere, at nemo e cavea certe divinavit fore ut iuvenis ille, quem moderantem choros et tibicines videbant, tam altum in arte sua locum attingeret, ipsumque Rossinium triumphalibus iam otios vacantem, cito aemularetur. Nihilominus, qui theatro praeerant operum susceptores, excussiore forte naso praediti, iuvenem sibi pactione adiunxerunt, ut ad tres annos tria musices opera ex novo ede-

ret sibi populo ferendas. Primam autem huiusmodi comoediam futuram constituerant, quum magister aliam post alium, uxorem carissimam, utrumque filium, quos ex ea suscepserat, amisit. Quo pacto iam vir tanto moerore confectus lepidos comoediae numeros edidisset? Quare *Regnum unius diei* (Italice: *Un giorno di regno*) — ita enim novum illud opus vocatum — sibilante plebe e scaena pulsum est. At quem lugubria fata nequierant frangere virum, eum neque arbitrium popularis aurae prostravit. Paucis post mensibus, a. MDCCCXLII die mensis Martii secunda, *Nabucodonosor*, trimenstru vix laboris fructus, maximam gloriam Iosepho magistro peperit.

Ascensus eius deinde quotannis sublimiores: quotquot opera eius nova posita sunt, totidem resonarunt ubique triumphi. Anno MDCCCXLIII, *Longobardi milites ad primum crucis bellum acti*; a. MDCCCXLIV, *Hernani*, Venetiis in theatro cui nomen a «Phoenice»; anno MDCCCXLV, gemina edita opera: Romae, *I Foscari*, Mediolani, *Ioanna d'Arc*. Deinde, foecunditate ita mirabili, ut prodigio adscribenda videretur, annos inter MDCCCXLV et MDCCCL, *Alzira*, *Attila*, *Macbeth*, *Latrones* (Italice: *I Masnaderi*), *Pirata* (Italice: *Il Corsaro*), *Pugna ad Lignanum*, *Aloysia Miller*, *Stiffelius*, quem deinde mutato nomine *Haroldum* vates dixit, prodiderunt in vulgus. Anno MDCCCLI, maximo tanti ingenii specimini, *Rigoletto*, Veneti plauiserunt cives, cuius celeberrimum cantum quatuor modulatum vocibus ipse quum audiisset Rossinius, Iosephi flamen sese iterum persentire sponte fassus est. Sed non heic morabinos post annos bina iterum opera peracta; ea immo, quae maxime deinde per populare ora vulgarentur *Vagus cantor* (*Il Trovatore*) et *Viola parva* (Italice deinde *La Traviata*). Anno MDCCCLV Napoleone III, Gallorum Imperatore, invitante, ut Lutetiensi universarum artium recensioni operam et ipse conferret suam, *Siculam inter-*

nencionem (Italice: *I Vespri Siciliani*) scripsit. Anno MDCCCLVII, iterum Venetiis, *Simon Boccanegra* populo propositus; anno MDCCCLIX, Romae, *Personatorum sal-tatio* (*Un ballo in maschera*); a. MDCCCLII, Petropoli, *Fatorum vis* (Italice: *La forza del destino*) edita.

Tantos post labores quindecim annos magistri lyra conticuit; non quia sterilis facta esset, sed ut novam silenti studio vim recuperaret, novaque concentuum portenta proxime effunderet. Anno MDCCCLXVII, Lutetiae, Imperatore adstante, *Carolus* (Ital.: *D. Carlos*) opus collusum, tresque post annos Cairo in urbe, Aegyptiorum rege invitante, *Aida* primo proposita est, compitissimum atque lectissimum operum, quae usque illuc magister edidisset. Quem post triumphum, iterum musarum eius silentia nimis diuturna fuere, donec tandem, anno MDCCCLXXXVII, Mediolani, renovatis omnino cantu et concentu, ac veluti nova indutus iuventute, *Otello* in scaenam prodiit. Denique, sex post annos, *Falstaff* comoedia, quod genus dramatis nunquam iam post domestica infortunia magister tentaverat, acta est. Sed plausus iuveni exordienti denegati octuagenario seni copia infinita ingeminati sunt: ita ut paene ad obitum properanti Thaliae gratiae arrisisse viderentur.

Attamen sacri et religiosi extremo tantae vitae curriculo servati manebant afflatus. His pertractus, quum iam rusticans integrum fere per annum aut Busseti, aut Montecatini in oppido vitam abdite duceret, *Stabat Mater* Iacoponis fratris laudem, Ambrosianum hymnum, denique seraphici Bernardi precem ad Mariam Deiparam, quam Alligherius conscripsit, numeris no-ster vestivit; tanto ferme vate unus ipse musices dignus scriptor! Verum celeberrimum eius sacram opus Missa fuit, quam Alexandri Manzonii memoriae Iosephus ediderat. Haec autem, quominus vicissim suis exsequiis concineretur modestia aucto-

ris prohibuit, qui iusta exsolvi sua ulla absque pompa testamento edixit.

Mediolani, sacris refectus viaticis, Iosephus Verdi in hospitio, quod incolere iam hieme assueverat, morte placida nonagenarius paene die xxvii mens. Ianuarii MCMI absumptus est. Legata caritatis eius in testamento copiosa quam maxime, pientissimaque voluntas apparuit, qua aedibus, quas musices artificibus senio aut morbo confessis cibo et domo excipiendis atque iuvandis ipse condidit, exuvias suas quiescere concupivit. Quod quidem, nec dubium erat, lata ad rem lege decreverunt Itali patres: quid enim nimium esse aliquis sentire poterat ut debitus honos tantae memoriae redderetur?

Eius demissio, quae in habitu praelucebat, qua semper in conversatione utebatur, vetuit ferme quominus non tam respublica Italorum quam et omnium gentium legati, iam ad rem delecti, post eius feretrum solempni pompa circumirent. Verum, quo ad usque Euterpe ac Terpsichore melos humanos animos movebunt, monumentum Italicae gloriae perenne erit, lausque Iosephi Verdi renovabitur illa, quam Russorum ipse Caesar, Petropoli audiens Verdianum opus de *Fatorum vi*, privatim auctori redidit inquiens: « Me quoque Caesare maior est tibi potestas! ».

I. A.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De particula « quidem »

« *Quidem* » quam plurimos habet usus ac sensus.

EXEMPLA: Ista *quidem* vis est (SUET.) — Atticus non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit: qui *quidem*

¹ Cfr. fasc. sup.



Serviliam Bruti matrem coluerit (CORN. NEP.) — Misera est illa *quidem* consolatio, sed tamen necessaria (CIC.) — Consules duos, bonos *quidem*, sed dumtaxat bonos, amisimus (CIC.) — Vagabitur nomen tuum longe ac late: sedem *quidem* stabilem non habebit (CIC.) — Cruciatu*s* est a Dolabella Trebonius: et *quidem* a Carthaginiensibus Regulus (CIC.) — Vicit cum una legione, et ea *quidem* vacillante (CIC.) — Doleo ac mirifice *quidem* (CIC.) — Rarum hoc genus, et *quidem* omnia praeclara rara (CIC.) — Apparet id *quidem* etiam coeco (TIT. LIV.) — Novum est, iudices, in Siculis *quidem* et in omnibus Graecis monstri simile (CIC.) — Certe *quidem* peiores te vidi neminem (PLAUT.) — Oratorias exercitationes non tu *quidem*, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti (CIC.) — L. Domitius nulla ille *quidem* arte, sed latine tamen dicebat (CIC.).

De ordine chronologico

Saepe usurpatur ordo chronologiae, seu temporum.

EXEMPLA: Regnante Romulo, quum, Capitolio ab Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur, intercursu mātronarum inter acies duas praelium sedatum est (TIT. LIV.) — Complexus inde suos dimitit (TIT. LIV.) — Triginta tyranii plurimorum bona publicata inter se divisorunt (CORN. NEP.) — Dum haec in Macedonia geruntur, Paulus, prorogato ex consulatu imperio, principio veris in Ligures exercitum introducit (TIT. LIV.) — Xerxes, Thermopylis expugnat, protinus Athenas accessit urbemque, nullis defendentibus, imperfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit (CORN. NEP.) — Consurrexit consul, et iussis sedere aliis progressusque paulum introeundi regi dextram porrexit submittente se ad pedes sustulit, nec attingere

genua passus introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considerare iussit (TIT. LIV.) — Venientibus malis obstat fortitudo (CIC.) — Diu meditatum scelus non ultra Nero distulit (TAC.) — Corvus, quem tenebat ore, dimisit cibum (PHOED.).

S. Leonardi in Helvetia

J. Iss.

Discipulis suis magistri verba ineuntem annum faustum fortunatumque precantis¹

Gum mihi semper gratus dies subiit, quo novi anni luce adventante, discipulis vota auspiciaque promere sum solitus, tum in praesens gratissimus, nam quo suavius, eo vehementius memoria complector qua precum intentissima ope, magistro, ut e diutina infirmitate recreeretur, praesto fuerint. Utrum mihi potius munus absolendum sit, omnia vobis nempe laetissima optandi, an de tanta in me humanitate ac pietate gratiam habendi atque referendi, dicere non ausim; utrumque enim adeo animum movet, ut suam vim et vocem proferat amicam.

Omnia vobis, Deo opitulante, in bonum conspirent, sitque uniuscuiusque animus virtutibus, quibus demptis, nihil sani solidique moliri valebitis, adeo instructus ac ornatus, ut dies qui surgit decedenti laetam usque operum frugem et consiliorum committat. Hoc satis erit ad honeste beatique vivendum; nam divitiis, quas virtus congerit, nulla rerum iactura, nullae sive hominum, sive rerum insidiae invidere possunt; at contra id efficere ut, quo magis

¹ In fasciculo superiori mensis Decembbris MCMXL descriptionem edidimus de Italorum metallorum spectaculo Romae oblato latine a cl. magistro discipulis suis habitam: non minori animi delectatione vulgamus hodie orationem hanc, qua Italus magister alter ludi sui, et *quidem* puellarum, latina studia auspicatus est. — A. R.

earum splendore alliciamur, eo minus Sirenum cantus nostras aures animosque feriant. Hoc enim praesidio munitae ecquid boni, pii sanctique adolescentulae non proferent? Vobis potissimum suscipe ut parentibus, utinam diu conservatis, decori et solamini sitis, ad quorum vitae probitatem atque industriam animis conformatis, id spectetis, ut et cordium pax, et casta laetitia per vosmetipsas adaugeantur. Doctrinae autem studia, in quibus operam et laborem sedulae ponitis, novam quasi animi formam exprimant atque effingant, neque tantummodo ad probationis pericula superanda dirigantur, nullo non nisu enientes, ne quid incommodi renuatis, ceterum ad mentis aciem exacuendam, voluntatisque robora excitanda opportunissimum. In fide constantes nihil impedit, quominus agmine abeatis, ubi confertae vobisque invicem consentientes, innocentiae, pietatis, castitatis bona certamina certavistis, intimi animi sensu gestientes nova iisque graviora suspicere, quorum principem locum contentio studiumque obtineant nihil de ingenua morum simplicitate et castimonia detrahendi, quae plurimarum aequalium suam dignitatem christianumque nomen missum facientium, mobile ingenium exprobrent, impudicitiam condemnent. Quodsi eiusmodi principia, hic altius radices agentia, adolescentulae obliuioni dedant, simulac procul a magistris, cuiuslibet custodiae impatientes, suo genio adeo indulgere malint, ut praepropere quae odisse iubebantur, attingere audeant, moribusque plane contempnendis contractis, in suam militiam saecli invitationa adsciscant, nego ab illis scholam reapse honestari, unde in hominum societatem, deliciarum omnium corruptelae nesciae, prodire, quibus doctrinae lumina evilescent, sanique mores sensim labefacti ruunt. Ex quo liquido apparet quam stulte se gerant, quae, nimium sibi suientes, tantum aequoris spatium idque impervium saepe, aliquando autem, reflantibus ventis, iniquum, fragili rate exarare contendant. Gubernatorem quaeramus, qui iuuentutem in altum provectam regat, moderetur, det naviganti Crucem tutissimae salutis signum; qui denique aestuantibus e fluctibus sospiti, depulsis nubibus, portum aperiat, quo appulsam sua pace soletur; Iesum dicimus, qui tempestates sedat et compescit. Tuum animum, quasi suae dilectionis thalamum deligit, castissime te alloquitur ore; si quid patiaris suum facit, nam cruciatus, quibus adhuc hominum saevitate angitur, tecum communicat inque cruentantem sinum filiam perdolentem recipit. Tibi praesens adest; vel in scholis eius ante oculos imago obversatur, fidem tuam roborat, vires demissas erigit; nutantem animum renovatum confirmat, socius et comes adiungitur quum in studiis et laboribus versaris, eaque te enutrit, alit, imbuit pietate, quae sublime concursuae virtutes alae suadeat. Neque id satis; nam si hoc fuit eius gratia pro visum, ut te vix primam oculis lucem hau rientem mater fasciis involutam primis lenta mulceret blanditiis, ulnis trepidi gestaret, fontem lactis libandum labellis aperiret, fletumque gementis lallans compesceret; materna si voci candida assonuit tua vocula: ave! ipsaque grandisculae ex primo pietatis rore, eo animum adduxit, ut se divina dape reficeret, dein adolescentem sibi in castitatis studio parem constituit, semet ad absolutissimam diae Parentis formam referens — cuius ex exemplo me quotiens admonentem audisti, ne transversum digitum unquam discederes — te Matri suae tutandam commisit, quasi geminum fratrem, quem idem gestavit gremium sanctimonia illibatum. Quod pudoris, pervigil, clausum in pectora servas, crevitque castitatem Matris attingere anhelum, neque immixuere Virgo patitur, neque ulla infici labe. Quae di vino nuntio decora humilitate sese acco-

modavit, ut dimisse de te sentias admonet; eas suavitate et patientia instruit — vosmet in numero eritis — quae, totae in puerulis litteris cum probitate tradendis primos doctrinæ haustus summae Veritatis lumine calefaciunt; prodiga cordis sui, quae lacrimas continenter profudit tuas continent, dolores allevat divinisque consiliis animum componere docet. Totam te precibus addictam vult, quo altius pietas flammescat perpeti Cratiae nitore, quasi rogos, splendescens, unde flumen caritatis manat, quae utinam, incestis conditis telis, mortales tot exagitatos odiis, coniungat ac devinciat. Quo amoris concordiaeque foedere divulso, quaenam delira vis ad caudem compulit homines? Quando acrius iniquitas e terra, e mari, ex aëre atrum protulit caput, hic fatiscentes carinas deprimens, illic caesorum corpora aggerens perque caeli spatia fragoribus concussa ignifera missilia vomens, fulminis aemula? Bellum enim quo nullum gravius post natos homines immane longe lateque patet, nos circum insaevit, feritate augescit suaque santes et insonites corripit procella. Qua igitur caritate precum contentioni nostram partem attulimus, quum semel atque iterum innocentium agmina Pontifex ad Virginis aras supplices accedere iussit, eos animis complectentes, quos ubique gentium terra marique caelo letum rapidum abstulit; quos patria extores hic illic vitam miserriam degentes Penatium desiderium macerat; teneros filiolos suae sortis sive conscientios, sive inscios, qua patres vita functos illacrimantes, qua a matrum curis ac blan- ditiis avulsos, sine intermissione, admonemus preces, praesertim cum arctius Iesu copulati cor divinissimum impetere audemus, ut pax tandem instauretur, quam saevi Martis furore sedato, anxii homines sollicite quaeritant, appetunt, implorant.

Nostra denique Italia, cuius est gloria,

temporis decursu, nulla unquam sortis opportunitate adiuta, sed Superum modo subsidio suaque singulari virtute confisa, imperia funditus evertere, e praesenti afflita fortuna incolumis evadat, stetque in hostes copiis praepollentes suaque temere felicitate gloriantes, nova vi erecta, audacissima, victoriae haud dubiae spe vehementius innixa, quam invicta arma fortiaque pectora parare queunt, Deus autem unus donare, qui in se adeo vult nostram pietatem auctam atque infractam decertantium virtutem productam, ut pax cum caritate et iustitia, quae futura sit, potius divina ope quam humana comparata videatur.

Cesenae.

AURELIUS DE POL.

Selecta ex bibliothecis et archivis

Anatomica humani corporis synopsis¹

Duo vero sunt hic, quae a nobis fortasse non infeliciter adnotata, ut me benignè attenteque audiatis iure merito exposcunt. Primum quod, licet sinistra cordis capacitas vix ultra duas liquidi uncias admittat, id tamen in mortuis et fluido quiescente contingit, quemadmodum et Harvaeus, et nos ipsi saepe deprehendimus. Atqui in vivente sanguis intra cordis alveos irruit, minore quidem velocitate a cava et auricula dextera (quae propterea sunt diametro maiores) in dexterum ventriculum, citatori vero a vena pulmonica et auricula sinistra, idcirco angustioribus, in sinistrum. Liquida vero omnia celeriter discurrentia copiosius semper influunt quum exitum habent, aut sibi faciunt, quam conceptaculi mensura spem oculis faciat, atque idcirco coniicimus, unaquaque cor-

¹ Cfr. fasc. sup.

dis pulsatione sanguinem maiori copia quam unciarum duarum subire, eoque etiam affluentius, quo minori in magnis arteriis impedimento cohibetur. Exinde fit, ut in iugulatis sanguineum fluidum non consueta moderataque circulandi lege, sed oxyssime per cor traiiciatur, nimirum sublato renixu sanguinis in iisdem arteriis contenti, non secus ac adempto horologiis sufflamine, vulgo *il tempo*, ipsae rotae, nullo remorante, cursus suos, quos integri diei spatio perficere debuissent (in libertatem vindicata elateris vi) perniciissime absolvunt.

Alterum deinde est, quod quamquam non inficiemur tot sanguinis libras, latis pulsationibus per cor traduci, negamus tamen universam sanguinis molem, quae praecedentibus et numerosis intra horam pulsibus elutriata fuerat, secundum omnes et singulas suam partes ubique per corpus perreptantes, eam esse, quae sequentis horae intervallo praecordia repeatat. Sunt enimvero pro locorum diversitate etiam velocitatis recursusque discrimina. Itaque ut sanguis per thoracis artuumque musculos, praesertim in corporibus exercitatis citius refluit, adiuvante nimirum muscularum pressione, aut loci propinquitate; ita qui per medullas, per mesenterium, per cerebrum, perque alia minoris motus viscera devolvitur, tardius recurrat; neque pari gressu alterius celeritatem assequi potest. Quare contingit proculdubio, ut nonnullae sanguinis partes vix bis, aut ter, quibusque horis ad cor appellant. Quod quidem consultissime naturae opifex in animalibus instituit, ut ea tarditate, non quidem inducta machinae vitio, aut cum vitae detimento, sed separationum ac nutritionum perficiendarum necessitatibus prospiceretur.

Et quoniam ad separaciones particularium liquidorum ultro delapsa est oratio, de iisdem pro nostra brevitatis instituto paucis forte non pauca subiiciamus. Et

quidem ad eas, de quibus loquimur, separaciones tria potissimum concurrere arbitramur. Primum certam fluidi secernenti in sanguine dispositionem; deinde peculiarem gradum velocitatis sanguinis, cum quo fluidum illud devolvitur, et a cuius sinu abscedere debet, postremo determinatam structuram motumque cribi, per quod separandum fluidum traicitur, et a quo per excretoria aut reductoria vascula alio derivandum est.

Quoad praeviā illam separationum dispositionem, unicuique intellectu facile est, ex chyli massa, veluti primigenia, statim atque sanguini permiscetur, elici non posse actuosam salivam, lixiviosum lotium, utilē bilem, vividos spiritus, perfectam denique ceterorum succorum crasim, quamquam in ipsa chyli substantia contineantur; nisi prius pluribus iteratisque per circuitum subagitationibus et attenuationibus, perque varias fermentorum, aërisque praesertim, actiones, alia cohaerentia dissolvantur, alia dissoluta cohaereant, alia crassiora atterruntur, alia tenuiora crassescant, alia asperiora levigentur; omnia denique benigno atque oleoso volatili foveantur. Hoc sane fluidorum apparatu (in quo haematosis tota consistit) seu partibus singulorum dispositis, id superest, ut determinatis motus gradibus uniuscuiusque liquidi confusae permixtaeque cum aliis particulae simul aggregentur iustumque secernendi succi molem coagmentent; mox ab ostiolo glandulae veluti despumandum. Est enim proprium motus ministerium, ut pro gradus diversitate, seu varia celeritate, primum similares, seu homogeneas partes congreget, deinde congregatas hoc illud appellat, deponatque. Quod passim in fluminibus, tametsi immobiles ripas habentibus, usvenire perspicimus. Nam quum priori impetu confusa corpora secum rapidissime abripiant, paullatim, ubi de concepta velocitate remittunt, tunc quidem alibi alia aggesta relinquunt. Quamobrem utramque

conditionem separationibus praeviam, ipsi motui assignare necesse est. Sed primam partem circularis, tum intestina sanguinis agitatio perfecit; secunda vero sola circulari delatione, eiusque varia remissione absolvit. Quam in rem inferentium vasorum confinia ita a natura concinnata sunt, ut modo in spiras, modo in plicas, nunc in angulos acutos, nunc in obtusos intra glandulas porosque secretorios desinant.

Hactenus secretionibus materia compara-ta est. Illae vero, ut in suis quaeque cribris perficiantur, structura organi eiusque motus est attendendus. Quo in loco immor-talis clarissimi Malpighii laudes reticere non possumus, qui primus omnium depre-hendit et demonstravit, ubicumque separa-tiones fiant, ibi glandulas sitas esse, quae cribra sint et secretoria liquidorum instru-menta; quarum glandularum multiplex ge-nus diversaque textura est; aliae enim conglomatae, quae ex pluribus constantes excretorio vase gaudent; aliae conglobatae, scilicet simpliciores, quae reductivo tan-tum canali instructae sunt; aliae ex solis folliculis compactae; aliae ex villosis tubu-lis; aliae postremo ex nuda quasi membrana foraminosa. Omnibus vero commune est, tum ut sanguinea habeant vasa, quorum extre-mum, deferens liquidum separandum, in folliculum desinat, quem modo in cana-licolum excretorium, modo in reductorium, modo saltem in superficiem, vel internam, vel externam, corporis abire comperimus, tum etiam, ut reticulo lacertoso, vel saltem nerveo donentur, in cuius interstitiis ita dispositi sunt sanguinei ac secretorii tubuli, ut vasculari texturae vermicularis ac pro-pulsivus motus adiungatur. Itaque non abs re glandulas dixerim esse totidem cor-cula vasorum foribus apposita, in quibus, quum per tot minimorum canalium mae-andros acceptus a corde motus languescit, nova illa constructione, ac pene dixerim systole, possit instaurari; eoque fit ut et

sanguinis ad praecordia recursus promo-veatur, et peculiaris liquidi urgeatur se-cretio.

(*Ad proximum numerum*).

I. M. LANCISI.

ANNALES

Europaeum discrimen

Peculiarum de re eventuum per Fe-bruarium mensem recensio orationibus, colloquiis pactionibusque circumscrribitur: praeter enim Anglorum in Cyrenaica pro-gressus, immutatae perstitere Germanorum Italorumque mari caeloque incursions in Anglos ad horum bellicas munitiones de-struendas impediendumque quominus Angli armis cibariisque ultra instrui possent.

Orationes a belli ducibus dicta sunt; a Musolinio, Hitlero, Churchillo: prima ab hoc, qui quum recentes belli vices recoluis-set et damna ab hostibus illata per igniferos globos numero ter quaterque maiori quam ab Anglis in Germanos effusos, de auxilio loquutus est Angliae a Civitatibus foede-ratis Septentrionalis Americae ferendo, deque asserta Anglii territorii proxima invasione, quam Anglii cives unguibus et rostris ob-sistentes prohibebunt.

Musolinus iniurias revocavit iam diu Italiae factas, rationesque quibus evenit in hodiernum discrimen Italiae ipsius inter-ventus sociaque arcta que opera cum Ger-maniae viribus; decem capitibus definitiv hodiernum rerum statum, qui consociatis populis victoriae tutum auspiciun affert.

Hitlerus denique, quum occasione vige-simi primi anni expleti, a quo pars « natio-nalis-socialista » in Germania condita est, sermonem haberet, labores repetit a se suisque exantlatos ad nova principia in civium animis ita defigenda, ut hostium spes eadem evellendi in irritum omnino

cessura sit. Nunciavit deinde proximo vere proprium verumque subaqueum bellum initum iri; Itali, quibus forma ipsa futu-rarum rerum est communis, ad ultimam victoriam validam suam operam apporta-bunt.

Colloquia habita sunt Bordigheriae in Ita liae oppido inter Hispaniae et Italiae duces, de quo affirmatum est, iudicium idem esse factum tum circa quaestiones Europam re-spicientes, tum quae duos populos, Hispa-num nempe atque Italum, singulatim attingunt.

Franco, in Hispaniam redditurus, Montis Pessulanii in urbe paullisper cum Petain, Gallicarum rerum moderatore, commoratus est; Hitlerus autem cum Iugoslaviae adm-inistris.

De variis initis pactionibus denique, peculiari nota digna est, quam Turcae cum Bulgaris sanxerunt de mutua finium tutela; quae quidem proxime praecessit nuntio, Bulgariam tripartito illi foederi inter Ger-maniam, Italiam atque Iaponiam sancto et ipsam adhaesisse; quinimo in regionem suam Germanicas copias admisisse, quae Anglorum pericula secum inde averterent.

Regia in Urbe funera

Die xxviii mens. Februarii, Romae, ubi privatus vivebat, supremum pientissime diem obiit Alfonsus, Hispanorum quondam rex eius nomine xiii. Filius postumus Al-fonsi XII, natus erat Madriti die vii mens. Maii MDCCCLXXXVI. Sextum supra deci-mum aetatis annum agens summa imperii assumpsit, quae usque tunc Maria Chri-stina mater magno ingenii acumine inter multas difficultates gesserat: a populo di-lectus eas et ipse per plures annos supe-rare valuit.

In bello illo, quod furere coepita. MCMXIV, nullius partes sequutus tragicam conflictationem lenire studuit, atque captivorum sortem; impedire tamen non potuit quoni-mus ipsius bellum consequentia et in Hispania

repercuterentur, eoque magis quod gravi-bus oeconomicis negotiis civitas premere-tur. Post vanos conatus ut populum a par-tium studiis odium vehementer perflantibus tolleret, exercitus duci Michaeli Primo de Rivera moderandarum rerum munus suo consilio commisit; cui septem post annos Berenguer, copiarum pariter dux, successit. Res vero regis spem fefellerunt: anno MCMXXXI Municipum comitia seditionis ho-minibus favorabilia cessere: Alfonsus ti-mens ne belli civilis in dilecta patria sua causa is diceretur, Hispaniam reliquit, et in Galliam primum, ac deinde Romam re-cessit.

POPICOLA.

VARIA

Mater Caeciliae¹

... Tum ianuae limen supergressa ad carros libitinæ accessit mulier quaedam, aetate iam constans, ut ex aspectu conie-ctari erat, sed nondum provecta; quaedam enim translucebat pulchritudo, obducta quidem diuturno maerore ingruentique tabe et iam languescens, neque tamen infecta; pulchritudo illa verecunda eademque decora quae ex ipso sanguine scatet Langobardarum mulierum. Non satis firmus gressus, neque tamen ut vestigiis pes in-haereret, neque oculi iam lacrimas edebant, quippe qui diu et abunde profudissent; sed inerat in eius dolore nescio quid pacati atque penitus absconditi, quod animi indi-cium erat omnino sui compotis iamque parati acerbitatibus subeundis. Nec vultu tantum videbatur mulier singularem tot misericordis in rebus elicere pietatem atque humanitatis sensus revocare iam omnium in animis oblitos atque prope emoriuos. Gerebat enim collo aptatam puellulam no-

¹ Ex A. Manzonii romanensi fabula, cap. XXXIV, la-tine vertit A. GUERCIO.

per pactionem a Zvetkovic, administratorum consilii Iugoslavici Praeside, et Markovic, exteris negotiis praefecto, subscriptam. Id vero non sine exteris atque internis difficultatibus acciderat: Anglia enim, vix post Berolinense colloquium, interpellationes suas, easque non minis vacuas, Iugoslavorum administris praebuerat, quorum tres se magistratu abdicaverant. Quum vero conventa favorabilia quidem Iugoslavorum populo intercessissent, cui promissum erat «axis» copias nunquam Iugoslaviae fines praetergressuras, et in Europae nova compositione ostium tamdiu exoptatum ad Aegeum mare Iugoslavis concessum iri, sperandum erat fore ut interna dissidia sopirentur. Ex adverso, vix e Germania reduces, duo administris repentina vi in vincula coniiciuntur, adulescens rex Petrus II summa imperii potitur, eius tutor ac in rebus publicis vices gerens Paulus princeps patria extorris fit, novumque administratorum collegium sufficitur, copiarum duce Simovic praefecto, tumultusque tum Bellogradi tum in ceteris civitatibus, praeter Liburniae (quae vulgo *Croatia* nunc appellatur), in Germanos Italosque excitantur; ex quibus facile coniiciendum est, belli incendium et brevi illuc iri prolatum.

Num et ipsum Atlanticum oceanum erit praetergressurum? Septentrionalis enim Americae foederatarum civitatum Praeses Roosevelt, civitates ipsas edicens «populi imperii navalium» esse debere, legem rogavit, ut Americana auxilia armorum, navium commeatuumque mitterentur Angliae, Graeciae, Sinis populisque omnibus, quorum territoria hostiliter occupata fuissent. Non est dubium quin Germani omni vi obstituri sint; qui subaqueas lntres suas iam in Atlantico oceano disseminarunt.

Qui quidem Germani sese cum Italis in Africa coniunxerunt ad repugnandos progressus Anglorum, qui, longe superioribus copiis et munimentis bellicis ab Australia aliisque «dominiis» coloniisque suis de-

ductis, ad Cyrenaicas oras, Bengasi usque urbem, processerant.

Pax in Oriente composita

Inter tot tantasque rerum lacrymas gaudet profecto animus pacem referre sine sanguinis effusione compositam: eam dicimus, quam die xi mens. Martii huius labentis, Iaponia interprete, Thailandia cum Indo-Sinarum Gallico imperio pacta est.

POPLICOLA.

SOCII ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

In sedis nostrae recenti translatione, malo casu factum est, ut exemplaria nonnullorum fasciculorum, quae superfuerant et ad ALMAE ROMAE collectiones integras effunditus servaveramus, desperita fuerint. Haec sunt:

*Ann. XVII (1930) fasc. mens. Ianuarii;
Ann. XX (1933) fasc. mens. Iulii, Octobris, Novembris et Decembris;*

Ann. XXVII (1940) fasc. mens. Ianuarii, Februarii et Aprilis.

Si quis Sociorum aut Lectorum nostrorum exemplar aliquod ipsorum fasciculorum habeat, neque ei grave sit illud a se abalienare, gratissimum nobis fecerit si, pro sua humanitate, nobis reddere voluerit.

A. R.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



VARIA

Quum de rebus dubiis disserimus, tutissimum esse, si statim de ea ipsa agatur, in qua totius controversiae cardo vertitur.¹

Ex belli inter Populum Romanum et Latinos orti principiis et consultationibus observare debemus, quum de rebus dubiis disserimus, tutissimum esse, si statim de ea ipsa agatur, in qua totius controversiae cardo vertitur, nec suspensa tenere suffragia oportere, sed decernere quid faciendum sit citissime. Cui rei documento esse potest eorumdem Latinorum consilium, tunc temporis captum, quum de suscipiendo adversus Romanos bello ageretur. Nam quum Romani de sociorum defectione subinde magisque suspicarentur, eo quod in Samnites foederatos suos bellum gererent; tamen tamquam de Samnitibus, non de se curam agerent, decem principes Latinorum Romanum evocaverunt, ut cum iis agerent de pace conservanda, utque si qua ratio esset, illos absque armis in amicitia retinerent. Latini haud dubii super qua re evocarentur, concilio habito, quid actum iri secum credant, quid ad ea responderi placeat, referunt; et quum alii aliud censerent, tum Annius, eorum praetor, inter cetera haec dixit: Ad summam rerum nostrarum pertinere arbitror, ut cogitatis magis quid agendum nobis quam quid dicendum: facile erit explicatis consiliis accommodare rebus verba. Haec vera est consultandi ratio, ut ad summa rerum capita spectemus et de iis statim decernamus, et proposita esse deberet haec Annii sententia omnibus qui magnas res tractant. Neque enim convenit disputare de verbis quibus agendum sit et adversarii respondendum. Sed quid facere velis aut debeas, hoc constituere oportet: quo

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

facto non possunt verba deesse. Existimavi autem haec Annii verba huc transferenda propter tot errores, quos commissos esse novi ob consilii ambiguitatem et suspensa nimis diu de rebus iudicia, non sine magno damno.

De Astrologo et Viatore

Contemplans quidam noctu caelum et stellas, in fossam, quam ante pedes traductam non viderat, incidit. Tum alias eadem iter faciens, quum de gemitu illius et oratione quod acciderat cognovisset: — Optime — inquit — tu qui os in caelum erigebas, terram potius intueri debueras.

Fabula ostendit, reperiri quosdam, qui futura praedicare non dubitant, quum quae ante pedes sunt non videant.

Locosa

TUCCUM Pater saepe saepius opportune admonet. Recens ita :

— Cogita, fili mi, quam magno stent litterarum et artium studia!...

Cui TUCCUS :

— Atqui tu grates diis de me agere potes: paululum enim illis vaco!

Aenigmata

I

Mollis sum fructus, quem dat non molle putat [men.

Principium varias? En, iubar irradiat. Mutatur rursus mea princeps littera? Saepe tramitis incerto sum tibi subsidio.

II

Magnificus clavus vesti decus addere possum. Vocalem muta! Mota fluenta lego.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore Martii mensis fasciculo proposita his respondent: 1) Nothus-Notus; 2) Nerva-Minerva.

Ann. XXVIII

Romae, mense Aprili MCMXLI

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglotam Vaticanam, Città del Vaticano

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De quibusdam vocibus omittendis

a) Latine adverbium quandoque subauditur, vel etiam alteri vocabulo eius iam inest sensus.

EXEMPLA: *Perspicere - Perquirere - Pervestigare - Pervidere - Percallere* — *Tum* (solummodo) illud fit, quod ab amico est profectum, si cum studio est profectum (CIC.) — *Semel* (tantum) - *Pauci* (tantum) ex tanto numero se incolumes in castra recipiunt (CAES.) — *Corpus*, etiamsi *mediocriter* (tantum) aegrum est, sanum non est (CIC.) — *Hoc ex parte* (tantum) verum esse videtur (CIC.) — *Ingenium* haud *pernoram* hospitis (PLAUT.) — In medio qui scripta foro *recidunt* sunt multi (HOR.) — Hortensio quamquam faveo, tamen illum (tantummodo) aetati sua praestare cupio (CIC.) — Ingemiscere nonnunquam viro concessum est idque raro (tantum) (CIC.) — *Unus* (tantum) - *Aliquis* (tantum) - In columitati sua (satis) consuluere (CIC., PHIL., II, 15, 38) — Rarum est genus eorum qui se a corpore avocent et ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur (= trahantur magna vi) (CIC.) — Ne Catoni anteposueris Socratem. Huius enim facta, illius (tantummodo) dicta lau-

¹ Cfr. fasc. sup.

dantur (CIC.) — Persuadent mathematici terram, ad universum caeli complexum, quasi (tantummodo) puncti instar obtinere (CIC.) — Ego, qui (tantummodo) sero graecas litteras attigissem, tamen Athenis complures dies sum commoratus (CIC.).

b) In duplice interrogazione indirecta, prior particula non raro demitur, brevitatis causa.

EXEMPLA: Sylla dicit se venisse quae- situm a rege pacem *an* bellum agitatus foret (SALL.) — Vivat *an* mortuus sit, quis scit aut curat? (CIC.) — Mulier in iram ex precibus versa: « *Sine, priusquam comple- xum accipio, sciam ad hostem an ad filium venerim* » (TIT. LIV., II, 40) — Delibera- batur de Avarico incendi placeret *an* de- fendi (CAES.) — Postrema syllaba brevis *an* longa sit, in versu non refert (CIC.) — In commune consultant, intra tecta subsi- stant *an* in aperto vagentur (PI.) — Pecu- niae *an* famae minus parceret, haud facile decerneret (SALL., Cat., XXV) — Nunc vero non id agitur, bonis *an* malis moribus vivamus, neque quantum aut quam magni- ficum imperium populi Romani; sed, cuius haec cumque modi, nostra *an* nobiscum una hostium futura sint (SALL., Cat., LII) — Sapientia sola per se beatos efficiat *necne*, quaestio est (CIC.) — Demus bene- ficium *necne*, in nostra potestate est (CIC.) — Quaeritur Corinthiis bellum indicamus *anon* (CIC.) — Tarquinius Superbus Pri- sci Tarquinii regis filius neposne fuerit,

parum liquet (TIT. LIV.) — Parthi Euphratem transierint necne, praeter te video dubitare neminem (CIC.) — In Aquis varie bellatum est, adeo ut in incerto fuerit vicis sent victime essent Romani (TIT. LIV.).

c) Latino non opus est verbis aut dicti- nibus verbalibus, quibus vox praecipua eluceat: ipso enim loco eluet.

EXEMPLA: *Ego faces iam accensas ad huius urbis incendium comprehendendi, protuli, extinxii. Me Catulus, princeps huius ordinis, parentem patriae nominavit. Mihi hic vir clarissimus, Gellius, civicam cor- ronam deberi a republica dixit (CIC., Pis., 3) — Haec ego semper de vobis expe- tivi, haec optavi, haec precatus sum (CIC., Pis., 20) — De una re solum dissident Academici, de ceteris mirifice congruunt (CIC., Leg., I, 20) — Sit rex bonus quasi tutor et procurator rei publicae; sic enim appelletur quicumque erit rector et gubernator civitatis (CIC., Rep., II, 29) — Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculum que occupatos (SEN.) — Hoc labores suos dulci obiectabat solatio (SEN.) — Haec sunt duo exempla eius fiduciae (A. GELL.) — Rem atrocem, nec tantum epistola dignam, Largius Macedo a servis suis passus est (P. I.) — Longius tendit hoc iudicium meum (QUINT.) — Deus nobis haec otia fecit (VERG., Eclog., I) — Concordia par- vae res crescunt, discordia maximae dilabuntur (SALL.) — Sua vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt (CIC.) — Ex te ipso rem audivi (CIC.) — Intus insidiae sunt, intus inclusum periculum est, intus est hostis (CIC., Cat., II, 5).*

d) Certa adiectiva latine omittuntur, quum aut nomini substantivo iam insint, aut prorsus deficiant, aut saltem facile subaudita intelligantur.

EXEMPLA: Q. Mucius nullo apparatu (inutili), pure et dilucide (dixit) (CIC., De orat., I, 53, 229) — Evidem arbitror multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit (CIC.).

— Tu longius iam processisti, quam ut possis *verbis* sanari (SEN., Ir., I, 16) — Dicacitatis moderatio distingue oratorem a scurra, et quod nos cum *causa* dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid (CIC.) — *Occasio* est et *tempus* (PLAUT.) — *Voluptas* (= fruitio materialis) - *Res* (= obiectum materiale) - Nullum nisi *loco* positum verbum videres (CIC.) — Lacedaemonii *tempus* Alcibiadis interficiendi quaerere instituerunt (CORN. NEP., Alc., 5) — *Occasio* videbatur rerum novandarum propter ingentem vim aeris alieni (TIT. LIV., VI, 35).

e) Certa substantiva saepius omittuntur quam exprimuntur, ut « *munus, officium, etc.* » cum « *est* » et genitivo.

EXEMPLA: Magni animi *est* iniurias despicer - In ornato urbis habuit victoriae rationem, habuit humanitatis: victoriae putabat *esse* multa Romam deportare, quae ornamenta urbi esse possent; humanitatis, non plane exspoliare urbem, praesertim quam conservare voluisset - Hominis *est* enim affici dolore, sentire, resistere tamen et solatia admittere, non solatiis egere - Non nostrum *est* inter vos tantas compnere lites (VERG.) — *Est* igitur *proprium munus* magistratus intelligere se gerere personam civitatis debereque eius dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura describere, ea fidei suae commissa meminisce (CIC., Off., 1) — *Iustitiae* primum *est munus*, ut ne quis cui noceat (CIC.) — Inter omnes hoc constat *virorum* esse *fortium* toleranter dolorem pati (CIC.) — *Artis* maxime *proprium* *est* creare et gignere (CIC.) — *Cuiusvis hominis* *est* errare; nullius nisi *insipientis* in errore perseverare (CIC.) — Secundas res immoderate ferre *levitatis* *est* (CIC.) — Nihil est tam *angusti animi* tamque *parvi* quam amare divitias (CIC.) — *Stulti* *est* inanibus verbis commoveri; *est prudentis* sustinere impetum benevolentiae (CIC.).

I. Jss.

PARVO SUB LARE CENA

Ad praclarum P. VICTORIUM GENOVESI S. I.
gratulanter et reverenter.

Caerulus emanat tecti de culmine fumus,
per riguum pratrum flebilis unda fluit.
Occiduum solem plorans campana salutat,
effundens tremulum culta per arva sonum.
Pinguis ex agris rediens iam cantat arator
exstimplans lentas cornigerasque boves.

* * *

Interea cenam communem praeparat uxor,
invigilare focos cui Deus ipse dedit.
Incoquit en caules teneros ferventibus undis,
en ligula mersos summovet atque premit.
Triticum libum cineri supponit adusto;
dein alio solers advocat inde manus.
Allia nunc saxo, rutas contundit oientes,
serpyllum subigit suave terisque mola.
Omnia nunc vetula trudit miscetque patella,
nunc oleum instillat prodiga pingue super.
Haec leviter frigit. Vepres ardore morantur?
excitat en prunas exstimplaque pigras.
Inflatis buccis ventos immittit in ignem,
ut mox vase tumens bulliat unda cavo.
Cum videt ignavas prorsus languescere flammas,
affert arsuris arida ligna focis.

Tum gravior fumus manat, flagrante camino,
tum crebro crepitans cana favilla volat.
Incoctos caules fulvo nunc tollit aheno,
lancibus et sumptos non remorata locat.
Dein condimentum caules super ingerit aptum
atque manu spargens discutit inde salem.
Postquam implevit opus, vocem de pectore mittit:
advenit extemplo servula lina ferens.

* * *

Sternit serva super mensam mantile renidens,
quod mundum redit fonte fluentis aquae.
Enitet in piceo linum nigrore culinae,
ut nemorum fulgent inter opaca nives!
Adducit scutulas, cultros cyathosque rotundos,
furcillas trifidas; fert cochleare simul.
Imponit gabatas ornatas caulibus ante,
deinceps caseolos, pinguis dona Palis.

Infert servatam carnem quae pendet ad ignem,
et sale durati sordida terga suis.

Subtractum cineri libum tum portat odorum,
quae dat ruricolis munera tosta Ceres.

Affert laetificum, vigeant ut robora, vinum,
aurea quod patriis vitibus uva dedit.

Nec desunt patulo redolentia poma canistro;
seligit e varia quae mage plebe rubent.

Accipit inde nuces, ficas et mollibus addit,
mitibus et miscet cerea pruna pisris.

In medio candelabrum dein collocat altum,
ex quo diffundat parva lucerna iubar.

* * *

Non haec, ut cernis, dapibus cumulatur opimis;
sufficit at parcis mensa parata cibis.

Haec, quae se circum proavos discumbere vidit,
escas et proprias suppeditavit eis,
frontem rugosam nec vidit edentibus unquam,
nec, quod displicat, triste supercilium.
Haec tantum fortes durisque laboribus aptos
sobria ruricolas sanaque cena beat.

* * *

Villica iam dapibus mensas onerarat inemptis,
noto cum sonuit proxima scala gradu.
Intenti pueri ludunt saliuntque iocosi,
cum subito clamant: « En pater, ecce
[pater!].

Paulo post, intrans, appetet fessus arator
qui rediens caros sentit amare magis.

Occurrunt illi tendentes brachia nati,
dum reduci laetis vocibus uxor ovat.
Nudat crura prius villosa pelle caprina,
sordenti socco liberat ipse pedem.

Deposito sacco, qui semen continet uber,
iungit filiolis oscula blanda suis.

Cernas tum pueros rursus colludere circum
perque domum totam tum properare pedes.
Haec inter videoas, cenam redolere paratam,
impositas munda sedulitate dapes.

 Ut iuvat uxorem redeuntem scire maritum,
 uxorem cui dos intemperata fides!
 Ut iuvat ex agris prospectum cernere culmen,
 fumeus unde globus temptat inane volans!
 Haec bona contingunt placidis non ficta colonis,
 impiger haec tribuit munera grata labor.
 Non qui gemmarum studio deflagrat anhelo,
 vel fabricat turres marmoreasque domus;
 non pernox auri qui magnos spectat acervos,
 vel sibi qui cupido regna superba petit:
 purus at abstinuit structis qui fraudibus atque
 servans iussa Dei pectore sancta colit;
 qui scit muneribus fortunae sobrius uti,
 tuta pace fruens, ipse beatus erit.

 Accedunt epulis cuncti, iam voce vocati:
 en nati, genitrix; en pater ante sedet.
 Servula non adstat sero defessa labore,
 at proprium accumbens occupat ipsa locum.
 Accipiunt avidi plenis de lancibus escas,
 sumunt quos praebet sobria mensa cibos.
 Nescio quid, spirat dulcis de vultibus aura:
 omnibus una quidem mens, amor unus inest.

 Nunc tenerae uxori vario sermone maritus
 messes enumerat, quas novus annus alit.
 Explicat arboreos cultus actosque labores;
 denique qui tauris sit renovandus ager.
 Collaudat validum quod iam molitus aratum,
 vomeris antiquum tollit ad astra decus.
 Concelebrat glebas, quas ipse subegit arato,
 lanigerumque gregem lactiferasque boves.
 Filioli pendent facundo patris ab ore
 cordibus atque tegunt verba recepta suis.

 Iam modicis escis satiati scama relinquunt,
 iamque lares circum stant, crepitante foco.
 Aestuat exsultans urenti flamma camino;
 apposito baculo sternitur ignis edax.
 Excipiunt pueri plaudenti voce favillas,
 quas oculis cernunt aetheris ire viam.

 Nunc animum precibus dignum concedere tem-
 pus;
 Caelesti Matri nunc tribuendus honor.
 Aspice nunc dociles ut cogat villica natos

succiduoque genu iungat ut ipsa manus.
 Continuo, simplex veluti cor suggestit illi,
 invocat auxilium Virginis ore pater.
 Ipse vocat Dominam quae Sancta vocatur in
 [orbe,
 ut procul a tectis exigat omne malum.
 Ipse vocat Dominam praesens quae sublevat
 [aegross,
 ut validam miseris provida tendat opem.
 Ipse vocat Dominam complet quae vota precan-
 [tum,
 ut teneram prolem semper amica tegat.
 Ipse vocat Dominam tetros quae reicit imbris,
 spicea ne messis grandine trita cadat.
 Ipse vocat Dominam rutilis quae cingitur astris,
 ne pereat crebris ignibus alta Ceres.
 Ipse vocat Dominam, Virgo quae dicitur alma,
 ne spes in trepidis rebus adempta labet.
 Respondent omnes alternis vocibus: «Ora,
 pro nobis ora, Sancta Dei genitrix,
 Ut digni pacto Christi efficiamus amore
 da nobis, addunt, fulgida stella maris».

 Exactis precibus, coniux tunc aggerit ignes,
 ut mos est; cineres accumulatque super.
 Tunc omnes pariter dulci dant corpora somno;
 tum recreat fuso membra sopore quies.
 Pendulus e tigno diffundit lumina lychnus,
 quo domus interior nulla carere potest.
 Haeret parietibus fumosis munda supellex,
 quae tremulis radiis lampadis icta micat.
 Virginis ex muro dependet dulcis imago
 (contegitur fixo picta tabella vitro).
 Alma Parenis tenui flamma lustrata renidet,
 dum Puerum stringit blanda foyetque sinu.
 Iamque Piam textis ornarat villica ramis,
 iunxerat et vernum purpureumque decus.
 Desuper oblatis Virgo redimita coronis
 devotos vigilans protegit usque suos.

VINCENTIUS POLYDORI

*Qui prudens est, et temperans est; qui tem-
 perans est, et constans est; qui constans est, et
 imperturbatus est; qui imperturbatus est, sine
 tristitia est; qui sine tristitia est, beatus est;
 ergo prudens beatus est.*

SEN., Epist. 86.

HISTORICAE NOTAE

De fontibus Romani iuris in prima Rei- publicae periodo: de transitu a Regno ad Rempublicam.

Ardua sane res est hodie post saecula tot, post tot rerum eversiones, in tanta fabularum congestione, in tanto documentorum defectu rationem illam persequi qua Reipublicae Regnum concesserit. Immutationem rerum Romanarum repentinam fuisse ex tyrannide Tarquinii illius Superbi, regesque a. dix ante Chr. nat. exactos fuisse consulesque binos, annuos creatos, traditio refert; quae tamen traditio non ante saec. III, vel II a. Chr. nat. orta est, ut plane novimus, eamque non esse in omnibus fide dignam iam copiose vidimus.

Sedulo rem consideranti id unum certo appareat, rerum immutationem non uno eodemque tempore perfectam fuisse, sed labentibus annis, prout varia temporis rerumque adjuncta ferebant haec novi ordinis evolutio perfectionem forsan non ante saec. II attigit, sed statim concidit.

Sunt qui dubitant odium in regium nomen explosisse illico exactis regibus, quippe semper Romani hoc nomine deos invocaverunt; Rex vero Sacrorum nulla affectus est unquam invidia, semperque veneratione cultus regia in foro; regium nomen invisum fuisse post bella civilia tum Graecorum odio cum etiam Caesaris et Antonii credendum est.¹

Sunt autem qui censeant regibus expulsi creatum illico fuisse dictatorem, a quo deuentum postea fuit ad magistratum collegiale; dictator enim quid medium eis videtur inter Regnum et Rempublicam; non iam regnum quia ad tempus, nondum res publica, quia penes unum est imperium.

Alii existimant iam initio regimini monarcho et perpetuo suffectum fuisse regi-

men collegiale; non tamen ad tempus, sed ad vitam.

Denique alii opinantur praetores, qui duces militares erant, sensim regibus praevaluisse Romae, ut factum est Athenis ubi «strategi», qui vocabantur, praevaluebant suffectique sunt «polemarchi».

Hos quod spectat, id unum animadverendum, nimis urgendam non esse analogiam ex historia Graeca ad Romanam; non idem enim prorsus iter populi omnes teruntur; illos autem quod attinet, notandum est regimen collegiale vitalicum inauditum fuisse Romanis. Denique de dictatore notandum est, id contra novi ordinis veluti peculiare fuisse ut supremus magistratus non esset unus, sed bini; collegium non perpetuum, sed annum; praeterea ad id deuentum fortasse non illico, sed paullatim fuisse. Tarquinii ex urbe recessere quia fractis ad Cumam Etruscorum opibus, elementum Latinum et patricium in urbe revaluit, audientiusque fit novis Sabinorum elementis sibi adlectis. Duo igitur heic ponenda sunt ob Tarquinios concidentes: hinc patricii Latini revalentes; inde Sabini novi advenientes.

Cum primis redditur in pristinum: deficiente rege, auspicia redeunt ad patres; Rex Sacrorum, qui etiam sub Tarquinii remanserat, licet tantum pro sacris, momentum suum recuperat: a rege tyranno aditus fit ad regem sacerdotem. Patrum concilium potestatem atque praestantium recuperat: restauratur regnum veluti «oligarchicum»; imperium est penes patres, exercetur a singularis ex ordine, moderante Rège Sacrorum.

Scimus tamen non inauditum fuisse Romanis posse summam rerum penes plures simul esse, ut iam fuisse traditum erat penes Romulum et Titum Tatium; ut iam omnes norunt factum fuisse saec. IV et V et antea apud Etruscos penes unum semper fuit et Lucumoni perpetuo dictator annuus succedit, apud Umbros, Osco-Sabellicos, apud quasdam Latinas civitates duo com-

¹ Cfr. DE FRANCIEGI, *Storia del Dir. Rom.*, I, 151.

muniter habentur, aut Praetores, aut Ma-
rones, aut Meddices.

Sabinos autem haud parvam habuisse
partem in primaevae Reipublicae regimine
iam ex eo didicimus, quod inter primores
gentes feruntur Sabini, uti Valerii, Claudi,
Cornelii, qui altioribus magistratibus fun-
cti sunt.

Age vero, nil mirum si quid in consti-
tuenda quoque sensim sine sensu Republica
contulere Sabini ex suis institutis et mori-
bus; si «pluralitatem» ac «temporaneita-
tem» (sit venia verbis) supremorum magis-
tratum in rerum ordinem renovandum deduxerunt. Id etsi Romanis inauditum, at
eo facilius suaderi eis potuit, quia hac ra-
tione facilius vitabatur periculum ne quan-
do tyranni restituerentur. Ideo nota nova
in supremo magistratu gerendo a Sabinis
mutuata haec fuit: 1° ut esset penes plu-
res; 2° ut esset ad tempus; scilicet ut esset
penes binos eosque annuos: hi Praetores
primum, deinde Consules appellati fuere.
Quum autem Romanis regium imperium
esset quid omnino unum, individuum, in-
scindibile, uti individuum, inscindibile est
dominium rei cuiusque, binis praetoribus
idem concessum est, ut integrum simul
esset penes utrumque; inde regimen illud
singulare quod «collegiale» dictum est,
quod simillimum est condominio, uti alias
videbimus. Itaque novus rerum ordo nec uno
consistit momento, nec sine diurna populi
contentione, sed elementis Latinis simul
cum Etruscis et Osco-Sabellicis composi-
tus exstitit. Quidquid est, prima prae-
cipuaque innovatio in magistratu supremo
effecta est; deinde in condicione plebis;
itaque in notis hisce nostris quae sequentur
primum de illis, de hac deinde singillatim
dicemus; demum uno veluti conspectu eam
expendemus constitutionem, quae Reipu-
blicae veluti proprium fuit et peculiare si-
gnum, quaeque nonnisi circa medium sae-
culum III composita tandem est.

S. ROMANI.

DE EPISTOLARUM DIRIBITORIIS MEMORIAE

A Romani Imperii occasu diuturnum per
tempus ad barbarorum usque ditionem
quum divinae omnes humanaeque res fun-
ditus commiserentur atque perturbarentur,
nulla epistolis diribendis publici magistra-
tus vel ministri, neque per Italos, neque
alibi per orbem fuere. Epistolarum enim
commerciū pacifica omnino humanarum
gentium communione eget ut floreat et
multiplicetur. Neque aptas publicae eius
gestioni fas est condere leges, antequam
singulorum commoda et negotia legibus
communita sint tutaque ratione existant.

Verum ex quo primum Carolus Magnus
Imperator perturbatas undique res compo-
nere et redintegrare legibus et armis est
orsus, epistolis quoque diribendis tutas
facere vias primus instituit. Certum est
tamen, exacto anno illo taeterimo post
Chr. natum millesimo, rem undique melius
esse dispositam. Universalis enim caedis
abacto metu, omnibus modis cives conten-
derunt, ut negotiorum suorum communio-
nem utique multiplicarent. Viatores itaque
mercatoresque, atque ii potissimum, qui
tunc temporis, pia relligione moti, ad sancta
ubique gentium loca peregrinabantur,
privatorum vel sodalitorum epistolas huc
vel illuc deferre instituerant. Optimates
vero fere omnes atque sodalitia opibus di-
tiora nuncios sibi delegerunt atque stipen-
dio constituere, quorum brevi exemplum
tum abbates, tum episcopi certatim sequuti
sunt.

Arduum sane opus erat, at magis arduum
in dies fiebat, quo dissita magis loca essent,
vel quo acrius bellorum ignis flagraret.
Quia vero fideles invenisse nuncios non
facile erat, religiosi ipsi sodales, qui quae-
ritandae stipi circumabant, tale plerumque
adimplebant.

Medio vero saeculo XII, conditis multas
per urbes, ut Bononiae, Lutetiae Parisio-

rum, Neapoli litterarum athenaeis, nunci
delecti sunt, qui humanissimum illud ar-
tium bonarum commercium tum inter unam
vel alteram academiam, tum inter iuvenes
studii operam dantes eorumque parentes
aut cognatos epistolas deferrent. Qui plane
nunci adeo fideliter suo ministerio satis-
facere visi sunt, ut publicis praemiis ab
ipsis magistratibus brevi cumularentur
atque publicis quoque epistolis diribendis
deligerentur. Nam Fridericus ipse cogno-
mine Aenobarbus, quo imperante Bononiense
athenaeum est inauguratum, decre-
tum anno MCLVIII edebat, cuius vi non
solum quisque regionem suam studiorum
causa esset relicturus, tutum per urbes
omnes haberet iter; sed idem privilegium
nunciis eorum et legatis extensum voluit.


Huiusmodi igitur commercia multiplicata
sunt in dies magis, nec epistolarum tantum,
sed etiam pecuniae, suppelletilium atque
saepe, adhibitis curribus et equis, impedi-
mentorum et civium. Simile ministerium
saepe quoque exercebant pecudum ducto-
res, qui huc vel illuc ad ferias vel ad nun-
dinas discurrebant. Quinimo, quum haec
plerumque itinera certis semper in hebdo-
mada diebus ab una ad alteram urbem fieri
solerent, mactatorum hoc ministerium epi-
stolare respublica ipsa sibi tandem suscep-
pit et stipendio habuit ut civibus utilitati
perspicere, usque ad exitum saeculi XVII.
Vigebat autem iam a saeculo XIII in Ger-
manis epistolarum diribitorum ab equi-
tibus ordinum relligiosorum ex una in
alteram ordinis sui domum expletum, ut
pariter monachi cavebant, qui ab una ad
alteram abbatiam circumabant; iuniores
equites nunciis deferendis destinabantur.
Citissimum ministerium eorum erat, sed
pretium quoque litteris diribendis satis gra-
ve; nam epistola Romam nisi decem marks
solutis haud deferebatur.

Sed iam extra Europae fines diribitoria
litterarum paulatim multiplicabantur, ut,
exempli gratia, in Araba Bagdad regis di-

tione, quae anno circiter millesimo p. C. n.
a Persis usque Aegyptios attingebat. Pedes-
tes illic erant equitesque selecti, qui per
vias imperii certis stationibus manebant,
atque invicem sibi epistolarum sacculos
tradebant ab una in alteram usque urbem.
Universae rei publici magistratus erant
praefecti, quumque optimum undique hoc
tanti ministerii exercitum videretur, eversa
licet illorum regum potentia, quod ipsi
tamen de re statuerunt integrum mansit.

Publici vero diribitorii initium in Europa
tunc potissimum repetendum est, quum
Franciscus Thurn Taxis, origine Bergo-
mensis, a Maximiliano Caesare privilegium
gerendi epistolaris commercii obtinuit a
Vindobona ad Bruxellas urbes, an. MDXVI.
Vir quidem ingenio alacris et magna praed-
itus audacia, deducendis brevi per omnem
Europam epistolariis itineribus admovit
animum, latissimum augendis divitiis ambi-
tum iure sibi patere existimans. Inter va-
rias igitur Europae nationes itinera et epi-
stolarum commercia comunicaturum sese
Franciscus constituit, atque rei moderator
summus in Belgis delectus, primum Bru-
xellis usque Parisios, mox Vindobona Ro-
mam, per Alpum vias, iter aperuit, deinde
Vindobona ad multas alias Germaniae ur-
bes; quumque ubique gentium susceptum
ministerium plenissime adimpleretur, om-
nes late reges Franciscum rogabant, suas
ut per terras similes viae lustrarentur.
Anno itaque MDXXXVI moderator epistolis
diribendis per Austrorum omne imperium
est constitutus Leonardus Thurn Taxis, et
primum comes, deinde Imperii princeps
creatus est. Idque tam optimo iure factum
tunc videbatur, ut Franciscus Moser iuris-
peritus, tunc temporis clarissimus, scribere
non dubitaverit diribendarum epistolarum
industriam a Francisco illo inventam cum
Christophori Columbi gloria, qui Ameri-
cam invenit, merito posse comparari.

At familiae fortuna longe felicior quam
Columbi evasit. Quum enim omnes Ger-



manici Imperii Caesares ab ipso sua epistolaria negotia geri petiissent, factum est plane ut Germania omnis et Austria, Belgarum regio septemtrionalisque Italiae, Galliae Iberiaeque provinciae curribus et equis eius quasi sub ditione persulcarentur passim. Quamobrem quum placuit regibus ministerium illud late ingens suum facere, incredibili pecuniae vi illud eruere coacti sunt, nec ubique id fieri per Germanos potuit, nisi anno MDCCCLXVI.

X.

Selecta ex bibliothecis et archivis

Anatomica humani corporis synopsis¹

Denique pro coronide praelibandorum de secretionibus non est hic praetereunda celebris inter recentiores controversia, utrum supra illa separationis actio, qua ab ipso sanguinis commercio fluidum per glandulae in vas excretorium, vel reductorium truditur, sola fiat vi trudentis cunei per peculiare fermentum (quod praecipitans appellant) adacti; an vero configuratione ostiolorum cum particulis separandis; in qua neutrum quidem animo sedet meo. Enimvero si peculiaribus fermentis hoc tribuatur, abire esset in infinitum; glandulae enim aliae pro fermentorum elaboratione ac secretione essent assignandae; configurationi autem obsistit tum fluidorum compositio, quae magnam partem flexilibus, teretibus ac rotundis consurgit phlegmatis particulis, quae foramina utcumque angularia non aegre subire valent, tum pellicea atque expansilia orificiorum labia, quae proinde certam constanter figuram retinere non possunt. Nihil igitur reliquum est, nisi ut ad solam commensurationem configuiamus, nimirum quae perimetri potius majoris, vel minoris rationem habeat quam

¹ Cfr. fasc. sup.

figurae; hanc enim fere ovalem plerumque putamus; ita tamen, ut minor semper glandularis orificii amplitudo esse debeat, quam cuiusvis tenuissimi sanguinei corpusculi; aliter enim crux ipse refluere, quemadmodum interdum accidere per morbum solet; quum scilicet cribra praeternaturali impetu, vel erosione nimium distenduntur ac dilatantur.

Quae autem huc usque in genere de secretionibus disserimus, mirifice illustrantur et confirmantur praeclara observatione viarum locorumque, in quibus natura glandulas, seu secretionum officinas, dispositus. Nam (praeter halitusas aqueasque partes, quae tamquam effluvia sanguinis ad evaporandum prompta, ubicunque idoneus folliculus, vel saltem porus occurrit emittuntur) quo glandula breviori itinere proprius cor locata est, eo gravior a sanguine substantia ibidem excernitur; quo vero longius a corde posita est, eo levior ac subtilior ibi humor deponitur ac filtratur. Itaque quum renes sint glandulae conglomeratae infra, et omnium proximae ipsi cordi, atque ad excipiendum ab aorta sanguinem via brevissima collocati, ideo fit ut lotium, quod aliis succis gravius est, in iisdem ceteris concurrentibus, facilime separetur; deinde quia bilis est liquidum urina levius, idcirco hepar prolixiori et tortuosa meseraicarum, splenicularum et totius portae venarum semita sanguinem excipit; ut nempe tot diversiculorum circumvolutionibus ad locum, quamquam primo aspectu cordi vicinum, multis tamen ambagibus pererratis, tandem perveniat. Et quidem urinam bile graviorem esse non modo intellectui suadet copia tartari, qua lotium redundat; verum ipsis etiam oculis demonstrant lapides in utraque glandula, aut vesica concreti, quorum urinarii in aecto semper subsident; biliarii vero interdum fluitant, interdum aequibrantur, nec, nisi raro, fundum petunt. Aestate vero, quoniam urinosa substantia, volatisatis magis

salibus, levior in specie fit quam hyeme, propterea ad cutaneas glandulas magna ex parte divertit: quo etiam in statu naturali reicitur atque amandatur, quum per violatos motus augetur impetus propulsivus tam praecordiorum, quam muscularis machinae reliqui corporis, contra contentum fluentemque in canalibus sanguinem. Quamobrem urinosum serum a sanguine violenter ultra sectiones arteriarum emulgentium rapitur; quinimo accidente per agitationem illam maiori volatilium particularum extricatione ac miscela, tandem ad extreham usque peripheriam levius quoque factum sudorique admixtum urgetur, atque traducitur.

Quod si ad actuosissimorum ac summpere depuratorum fluidorum elaborationem progredi libeat, admirando sane consilio seminis et animalium spirituum opificium advertemus per canales maxime tortuosos, inflexos atque in locis a corde quam remotissimis celebrari. Nam unicuique exploratum est, arterias carotides non solum flexuoso per cranium ingressu cerebrum subire, sed etiam per labyrinthos meatus et retia non modicam eiusdem visceris substantiam pervadere. In testibus vero, praeter serpentinos contortosque canaliculos, illud quoque cautum fuit, ut fere extra corpus amandarentur. Adeo fixum naturae est, recrements graviora iuxta ordinarias leges primis cursibus a sanguine deponi, longioribus contra, quae subtiliora sunt corpora et leviora secerni.

Sed iam peragrat post galaxiam sanguineis tramitibus, et secerniculorum meatus, regredendum est ad alterum oesophago atque in faucium vestibulo hiantem canalem, per quem itus reditusque ambienti aeri patet. Elevata igitur epiglottide, factoque eodem tempore ampliori thoracis spatio, propter erectas costas ope muscularum, depressumque diaphragma, irruit ori, dempto renixu, circumfusus aer, atque per laryngem, asperam arteriam et bron-

chia usque ad vesiculos pulmonicas, quae data porta, diffunditur, et vi proprii impetus inter sanguinea vasa, quae supra vesicularum dorsum minutissima perreptant, in omnem partem nititur, eoque fit, ut singulis inspirationibus non tantum sanguis exactius cum recenti chylo lymphaque permisceatur, atque ab arteria pulmonica in sororem venam facilis trudatur; verum etiam elasticæ aëris partes, et spirituosa aetheris particulae, pinguis subtilibusque ichoribus per agitationem sociatae, uberius in sanguinem se se insinuant; quarum beneficio eiusdem fluxilitas atque intestinus motus promovetur. Nam tum cohaesio, ad quam alioque sponte sua globuli sanguinei tendunt, interiectis aëris moleculis, impeditur; tum urgenti admissarum particularum elatere, blande quaquaversum propelluntur et agitantur quae lentae resedique forent; tum demum corpuscula, quae in spiritum, seu in fluidum impetum faciens, ut cum Hippocrate loquar, abre nata sunt, magis attenuantur, atque idonea muneribus coctionum, separationum, motuum ac sensuum efficiuntur.

(Ad proximum numerum).

I. M. LANCISI.

ANNALES

Europaeum discrimen

In superiore eventum recensione nostra retulimus Hitlerum, supremum Germanarum rerum moderatorem, Iugoslaviae administros apud se recepisse cum iisque colloquium habuisse, ex quo plures conjectarunt fore ut et regnum illud ad « foedus tripartitum », non aliter ac finitimarum Bulgarorum Rumenorumque civitatum accessum; neque iniuria, nam proxime nunciatum est id factum esse Vindobonae,

terum foedus, et hoc cum Iugoslavorum administris, feriebant, quo invicem fore ut a quavis vi temperarent pollicebantur; quod si a tertia quavis civitate impetus fieret, amicitiae inter se duo populi rationem retinerent.

Quamquam nescimus profecto quomodo res confici possit: Iugoslavorum namque regnum periiit. Die enim vi eiusdem mensis Aprilis Germanorum copiae, ob violatum ab Iugoslavis foedus cum «axe», eorum territorium, una cum Italorum exercitu ab Illyrico procedente, invaserunt, ac duodecim dierum spatio obtrivere. Hinc factum est ut Petrus II, adolescens rex, et Simovic dux, in cuius caput tristis rerum eventus maxime recidere debuit, fugam capessierint, Hungari et Bulgari suas quae antea fuerant terras reciperent, Liburni (nunc «Creoati» appellantur) libere rem publicam sibi administrandam obtinerent, Itali denique Dalmatiam eiusque insulas et Labacensem provinciam sibi addicerent.

Neque satis. Quum enim Angli in Graecorum Iugoslavorumque auxilium acies suas misissent, Italo-Germani coniunctis copiis in eas vehementem impetum fecere, ad mare usque repulere, ubi naves in aquis et ex caelis igniferis globis percussas longe lateque submerserunt. Graeca agmina pleraque in hostium deditioinem venere, qui et Graeciae regiones et circumstantes insulas occuparunt; rex et ipse e terrae suae finibus excessit.

In Africa autem dum Angli Massaua portu potiuntur, Cyrenaicam, quam armis ceperant, omnem amittunt a Bengasi ad Bardiam et Sollum ad Aegypti fines, praeter Tobruch portum, ubi acerrime etiam nunc pugnatur.

Iudem Angli, sub specie tutandi petrolei putoeos, Chaldaeam Babylonensem (vulgo Irak) invadunt, resistantibus valide civibus, quibuscum Arabes videntur sese coniuncturi.

Sic bellum in dies multiplicatur, et est

adhuc timendum ne ultra Oceanum profertur, in Americam scilicet, ubi lex de pecunia credita et de conductione in Angliae favorem lata est, retentaeque naves sunt Italae, Germanicae, Danaeque, quae in Americanis portibus consisterent, ut in Americanorum usum converterentur, creditis ab his totidem ex navibus suis in An glorum usum.

O tardem aliquando Omnipotens Christi Vicarii implorationem exaudiat, cuius vox et Paschatis die universo orbi per aethereas undas clamabat, sub Dei vigilantibus oculis, armis precum, cohortationis et solaci pro pace pugnare Se pergere!

POPICOLA.

SOCII ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

In sedis nostrae recenti translatione, malo casu factum est, ut exemplaria nonnullorum fasciculorum, quae superfuerant et ad ALMAE ROMAE collectiones integras efformandas servaveramus, deperdita fuerint. Haec sunt:

*Ann. XVII (1930) fasc. mens. Ianuarii;
Ann. XX (1933) fasc. mens. Iulii, Octobris, Novembris et Decembris;
Ann. XXVII (1940) fasc. mens. Ianuarii, Februarii et Aprilis.*

Si quis Sociorum aut Lectorum nostrorum exemplar aliquod ipsorum fasciculorum habeat, neque ei grave sit illud a se abalienare, gratissimum nobis fecerit si, pro sua humanitate, nobis reddere voluerit.

A. R.


IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

VARIA

Quantum agri distribuere solerent Romani singulis Colonis.¹

Quantum agri populus Romanus singulis Colonis dividere soleret vix memoriae proditum esse credo: verisimile est autem aliquando plus, et aliquando minus cuique assignasse, prout locus magis aut minus fertilis esset, in quem colonia deducebatur; nec tamen unquam id valde liberaliter ab eo factum, quum Reipublicae interesset ut multi in singulas colonias deduci possent, qui adversus hostium incursus tutandis finibus Romani imperii praesidio essent. Deinde quum tenuiter viverent ii cives qui Romae habitabant, verisimile est eos noluisse, ut qui in colonias deducerentur, vehementer opulentii forent. Exemplo potest esse colonia Veji, qua post Veios captos deducta, distributa fuere singulis colonis terna iugera et septem unicae agri, Livio teste. Existimabant enim non tam magnitudinem agri, quam bonam ipsius culturam ad victum suppeditandum conducere. Pascua certe et silvas eos habuisse oportuit cum ad pecora nutrienda, tum ad ligna ignibus et aedificiis suppeditanda, sine quibus colonia recte institui non potuit.

Paroaeiae sive adagia

NAULUM PERDERE

Iuvenalis:

Iamque tace; furor est post omnia perdere nau-

lum.

Proverbiu m ideo est in eum, qui quum multa amisit, reliquum etiam velit perdere. Sumpta autem metaphora est a mercatoribus, qui quum navigant si minus quantum cupiunt lucrari possunt, student ut saltem

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

recuperent ex mercibus divenditis quantum pro vectura navalii solverunt.

Plutarchus Aristippum dicit interrogatum a quodam num esset ubique ridens: « Naulum igitur non perdo — respondisse — siquidem ubique sum ».

SUS COMESSATUR

Diogenianus scripsit dici solitum de iis, qui praeter decorum quidpiam facerent, quique rerum successu praeter meritum obiecto sese insolentius efferunt. — Attin- gunt Suidas et Xenodorus.

locosa

Pater TUCCIOB obiurgat:
— Cur longe a te abiecisti lexica anglica, gallica, graeca?

TUCCIOB: — Nonne ipse tu me iussisti abhorrendum a malis linguis?

TUCCIOB in schola a Magistro interro- gatur:

— Quinam est caloris effectus?
TUCCIOB - Dilatandi corpora.

MAGISTER - Bere, Tucci; proferas exempla.

TUCCIOB - Aestate dies producuntur; hieme contrahuntur.

Aenigmata

I

Ingenuum studium vigeo sub praeside Musa.

Littera praeficitur? Sum deus armipotens.
Altera praeficitur mota de sede priore?
Exior, totum si secuisse libet.

II

Vox eadem maneo. Modo bellua sum, modo flu-
[men]
praecipitans, sacrum gentibus Assyriaee.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore Aprilis mensis fasciculo proposita his respondent: 1) *Nux, Lux, Dux*; 2) *Limbus, Lembus*.

Ann. XXVIII

Romae, mense Maio MCMXLI

Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doct. *Romanum, Via di S. Maria dell'Anima, 39* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

DE PUERIS ET ADOLESCENTULIS EDUCANDIS, INSTITUENDIS

Ars longa, vita brevis, occasio volucris, experientia periculosa, iudicium difficile; neque satis est suo magistrum fungi officio, nisi adolescens instituendus, nisi parentes, et ii, quibus parentum vice locoque credita cura est, suo pariter officio fungantur, et perquam diligentissime absolvant. Haec, quae suis *aphorismis* verba medicus praefixit Hippocrates, elucubrationi de pueris adolescentulisque educandis instituendisque agenti iure praeponenda putavi, ut innuem idem esse discrimen in amovendis: homine vitiis et morte, et in tanta re adipiscenda non una tantum esse negotia, sed studium, diligentiam, curam, quotidiana omnia, vigilibus oculis et assiduis esse iugiter perseveranda.

Iamque rem omnem proprius aggrediamur; quam tamen et suapte natura gravem et spectaculo tristem, ut ipso ab exordio minus ingratam faciam, iocum dicam, — quippe

ridendo dicere verum
Quid vetat?

quo et ipse laetificatus sum, quum, philosophiae ethicae compos iam factus, cum avunculo meo saepe diurnis de disciplinis colloquerer, viro non solum eruditissimo, sed quo non aliud umquam mihi fuit in ipsa

gravitate iucundior, et ipsa in iucunditate gravior. Hic igitur, quum de sociali ordine sermo esset, sermone disceptationis repente interrupto: — Quemnam putas, — inquit, — o abnepos, imperatoribus, regibus, praesidibus, ipsi et Pontifici Summo religionis cuiusvis inimicissimum, et vatiniano odio precibus omnibus eos morti voventem? — Subitae atque inopinae quaestioni responsio minime facilis erat, utpote quae talis esset, quae « *democratiae* », « *monarchiae* », religionum omnium uno complexu partes omnes vinciret. Quum itaque haererem: — Aspice, — prosequutus est, matres plurimas indicans, quae, ut rusticis in more est, hiberno sole gaudebant humi sedentes, turba filiorum obsitae, et infantibus suis partim admonentes ubera, partim suaviter blandientes. Qumque ego mirarer incredibilia verba, et causas quererem oculis: — Nec unam quidem, — addidit, — inventies ex iis, quae catellum suum, catellos omnes suos non desideret, non prececur fieri Augustos, Reges, Pontifices, Praesides, et si quod maius; quae, optione et vi datis, libenter terrarum orbem, se non excepta, incendio cremaret, ut nati sui primis iisque amplissimis fortunis et honoribus potirentur. Recordare sententiam: « *Dummodo Nero regnet, Agrippina moriatur!* ». Cordis materni pictura est.

Num sunt haec memorata extra, ut aiunt, chorum? Minime gentium; nam quum maternis animis praescriptum firmumque sit

ut quot sunt liberi totidem auctoritate, potentia, divitiis non modo emineant, praestent, emicent, sed vel

Sublimi feriant sidera vertice;

ad hoc autem adipiscendum culmen, ad haec ferienda sidera, facilior via sit, quae per disciplinas optimas graditatur, hinc est ut vix pueri prima verba, prima vestigia tentent, omnis parentum cura, quanta est, incumbat in sternendum iter, quo possint optatis potiri. Qua de re primo impetu asylia portae occupantur; ille autem asylus optimus, qui notis literarum, qui calamo, charisque acciat infantiles manus; et, nisi in ista conetur, et adigat in ea invitatos catellos, asylus pessimus, fungi, bucones, bardi quot sunt rector, magistri, custodes, magistrae. Mox, ubi lustrum expleverit, in ludos disciplinae, velit, nolit, absque misericordia immittetur, indolemque, mentemque, corpusque, membraque stare loco nescientia ligneo sedili, summis, arabicis characteribus deductis, conficiundis, quaestionibus, quae potius aenigmata quam interrogations dici possunt, solvendis veluti patibulo affigetur. Nec mora, nec requies puero; sed minae, verbera, lacrimae, obiurgationes, supercilia turmatim evocantur, ut vel invitus procedat, nec preces rectori, nec magistris blanditiae maternae desunt ad unum illud, ut filius quotannis ad altiora provehatur, et vix decennis in gymnasio bella cum Latinis, cum Graecis, cum mathematicis, cum physicis conserat, vincat, triumphet, lyceo potiatur amplissime, et post hoc longa victoriarum serie insignis, tot notans triumphos quot annos, in suprema bonarum litterarum et artium «universitate», seu athenaeo, magnus versetur. Date locum, gentes, Hippocratis, Archimedibus, Tribonianis, Paulis, qui idem singuli didicerunt, idem passi sunt, eodem, iisdem argumentis lauream coronam adepti sunt, doctores amplissimi sunt renuntiati, omnia sibi suisque fausta, feli-

cia, prospera sunt polliciti! Quid si, ubi in aequum venient, plures erunt causidici in foro quam causae dicendae? Plures in urbe architecti quam excitanda aedificia? Plures in regione mathematici quam sternendae viae? Plures in civitate medici quam infirmi?... Inopes, afflitti per nefas quaerent, quae per fas obtinere non possunt, et publicam rem et familias, sibi, suisque, extensisque molesti turbabunt; quinimo qui bonus agricola, qui peritus musicus, qui rei domesticae gerendae idoneus fuisse, in alia penitus ac diversa actus est improba voluntate consanguineorum atque parentum.

Haec est itaque in educatione atque institutione sobolis prima ferme, et communis mali labes, qua tot mediocres sunt, quae sceleribus quotidie terremur novis, quae societas fit veluti mare fervens, quod quiescere nequit. A fundamentis igitur incipiendum est, si quid boni adipisci velimus. Id autem assequi possumus tantum opera eorum, quibus a teneris unguiculis traduntur instituendi puelli. Indolem hi singulorum perspicere tantummodo possunt, et libro notare, et parentibus et consanguineis indicare; quo vergit natura, quo abripit indoles eundum; non contra agmen aquarumducenda navis, quae et aegre, et segnior procedet; sed quo vehit ingenium, quasi flumen, prona prora cuique est iter. Hinc quampluribus placet pueros ad decimum fere annum magna in libertate colendos exercendosque libero aere, ludisque puerilibus, quibus membra firmentur,pectoris, pulmones exercitio roborentur, sanguis motu perpetuo et agitatione calescat cursu, saltu, neque cohibeatur standi impos coram scriptoria mensa, neque arescat simul anima et corpore in libris exosis, neque mentis potentiam disperdat in solvendo aenigmata numeris referto; sed narratione accipiat ore tenus facta maiorum, quibus quasi totidem stellis nostra micat historia, et sciat quid sit orbis terrarum, quid cae-

lum, quid sidera. Addantur insuper quae ad agros pertinent, ut flores colant, agellos habeant, in quibus et lactucas, et brassicas et cetera eiusmodi curent; sciant quae arboribus, vitibus, segetibus, herbis opportuna sint, quae noceant, quae denique conferant ut parvi agricolae primum sint, qui postea Cincinnati vocentur.

Iamque apparebit in iis optime qui aptior dicendo, qui exstruendis casis, qui plostellis, qui simulacris, qui pingendis rebus, qui militari disciplinae, qui tubae, qui agris, qui doctrinae, qui artibus, qui mercatura. Notet omnia sedulus rector, notet magister tenero praefectus agmini, at exiguo, notet; neque imperiosus facere iubeat, neque superciliosus a faciendo deterrat. Atque hic ipsa educatio «moralem in campum», ut ita dicam, descendet. Nam quieta ac tranquilla indoles nonnullos a rixosis suapte vi separabit, arcebit; pronos in iram proni in iram mulcabunt; hos arguet, hos terribit magister, hos rector monebit, et puniet, ut, superbia dominationis in quietos placidosque deposita, noscant ita vivendum sicuti fratres et bene moratos decet, et proprii munieris conscientia teneantur.

Quod ubi factum sit, ubi probationis huius ultimus illuxerit dies, tunc non voluntate parentum et libito, sed iuxta indolem segregentur hi ad officinas artium, illi ad studia et disciplinas. Ut enim satis habent in legendis atque scribendis, satis superque sunt quotidie tres horae ita divisae, ut ante meridiem duae, post meridiem una, ludis exercitationibusque inter utramque seriem interiectis, numerentur. Id vero a septimo ad decimum annum tantummodo; antea nihil omnino. Hoc vero ita fiat, ut nemini liceat in otio esse, nemini segnitie diffluere. In labore salus, in exercitatione robur.

At vero, ubi ad gymnasia et lycea ventum sit ceterasque scholas, id velim cautum servatumque, ut nemini ex adolescentulis

liceat vagari per plateas et vias, praeter horas ante solis occasum duas: si qui errabundi inveniantur a custodibus civilis ordinis, hi capiantur et in carcerem absque misericordia adigantur, teneanturque toto die usque ad occasum. Quod uti fieri possit, necesse est ut omnis adolescentulus veste, quasi dicam, militari induatur, qua et gymnasio et lyceo dignoscatur addictus. Plura adipiscimur ex hoc utilia; nam et adolescentes, seu sponte, seu ingratitiis, servabunt domos, ibique ex necessitate, quoniam exire non possunt, sua incumbent in studia; tum, errabundi vagique quum non sint, ludis, aleis minus, immo penitus operam non navabunt, tum disciplinae assuescent, scientque libertatem se tunc recuperaturos ubi, studiis absolutis, suprema athenaea ingredientur. At vero tunc, iam habitu assueti gravibus, puerilia quaeque negligent, neque ad obsoleta iam et inania revertentur.

Ut igitur finis sit, de pueris et adolescentibus educandis et instituendis magna parentibus cura, maxima debet esse reipublicae, quae legibus latis, et non modo latis, sed austeritate indeprecabili impositis, virtuoso, quia otioso, agmine vias, plateasque urbium liberabit, civesque parabit obtinerantes legibus, audientes dicto maiorum, paratos animo in officia, corpore robustos si quando necesse sit bellare pro patria, servantissimos aequi ubi sint iura voto tuenda, atque artibus et officiis idoneos, quibus imbuti sunt, quippe et singula et omnia natura suadente, non alieno imperio sponte libenterque elegerunt.

Hisce regulis nova Italorum studiorum ratio, a «Scholae charta» tradita, innixa esse videtur; cui igitur libenter plaudo.

H. D.

*At tu dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere: non tardo labitur illa pede.*

TIBULLUS.

HISTORICAE NOTAE¹

De novis magistratibus supremis: Praetores

Auspicia, ut vidimus, redeunt ad Patres; sed in tot tantisque bellis imminentibus necesse prorsus visum fuit ut imperium penes unum quidem esset, quo et interdum concordia prima teneretur et hostes facilius propulsarentur bellaque ducentur; quare imperium, quod initio praeprimis religiosum erat, nunc fit imprimis munus militare, quod Collegio duorum confertur ad annum, quantum temporis spatium necesse esset ad bellum perficiendum; appellatique hi sunt *Praetores*, quia duces quum essent, suis copiis «praerinent», «prae-itores» essent. Hinc factum est ut nomina inde ducta militarem significationem et postea retinuerint; etenim «cohors praetoria» est custodia praetoris, ducis; «praetorium» est tabernaculum praetoris; «porta praetoria» ea in castris dicta est qua praetor exit, redit. Itaque imperium quod binis annis supremis hisce magistratibus in primitiva Republica tribuitur, est imprimis munus militare, religione reicta Regi Sacrorum, quod iam sub regibus et factum esse novimus, siquidem regium munus initio religiosum fuerat: rex pree primis sacerdos; secunda tantum regni periodo, quum regnum in manus Etruscorum venit, hi, uti par erat, religionem relinquunt civibus iisdemque patribus, sibi munere militari, quod eis unice imperium erat, assumpto.

Praetores postea etiam Consules dicti sunt, a «cum-saliendo», quod est simul saltare, significatione ducta a ritu quodam religioso; consules enim sunt qui simul saliunt; praesul autem qui pree aliis salit.

Iamvero si pretorum imperium cum imperio regio comparamus, duplarem differen-

tiam seriem deprehendimus, alteram quod ad subiectum, alteram vero quod ad obiectum imperii spectat. Et ad subiectum imperii haec notanda sunt: subiectum in novo rerum ordine a) non est unicum, sed duplex; b) non in perpetuitate vitae manet, sed singulis annis eligitur: duplicitas atque periodus annua sunt notae singulares novi magistratus, ab Osco-sabellis inventae.

Quia duplex subiectum, ideo imperium collegiale dictum; singulare tamen quodam collegium; reapse enim non collegium est subiectum imperii, sed uterque praetor, consul; collegium decernit suffragiis, ex maiorum suffragiorum numero; at hic vel ipse numerus duorum collegarum ostendit collegium non decernere suffragiis, imo non collegium decernere: uterque praetor, uterque consul integrum habet ipsum regium imperium libereque exercet, ut alter ab altero in hoc exercitio non pendeat. Ex hoc autem fieri potest collisio; quod si fiat, melior est condicio prohibentis; nam prohibitio haec actum ipsum suspendit, intercedit alterius voluntatem, ideoque «intercessio» dicta est: intercessio nihil decernit, nihil mutat; suspendit actum, elidit voluntatem alterius, adeo ut quidquid ab ea consequutum consequutur sit. Quae gubernandi ratio profecto non perfectissima est; barbariem quamdam sapit; ideo simul cum Reipublicae exordiis existisse dicenda est; implicat ita regiminis exercitium, ut id usu impossibile factum fuerit, nisi temperamenta e communi utriusque collegae, et senatus saltem tacita voluntate intercesserint. Initio videntur domi imperavisse singuli singulis mensibus, a seniore incipientes; in bello autem singulis diebus: quae vero nec moram nec alternationem patiebantur, ut praeesse comitiis, creare dictatorem, templum dicare, si ultro non convenissent, sors decernebat.

Mox autem et in bello quotidiana alternatio inopportuna visa est; quapropter copiae divisae inter utrumque collegam (en pri-

mam divisionem!); quod si quando diversis locis essent bella gerenda, singula loca attributa singulo praetori aut mutuo consensu, aut senatus consulto. Ita senatus momentum iam in immensum crescit, siquidem decernit et de imperio! Tum senatus quotannis pro sequente anno designabat utrique praetori veluti campum militarem, qui *provincia* dictus est. Consules quidem initio stricto iure non tenebantur hac senatus designatione; sed quis contra voluntatem tanti consilii ausus esset ire? Itaque iam imperium illud unum, compactum, individuum, divisionem quamdam non reformidat: integrum adhuc permanet apud utrumque consulem; sed in praxi uterque verebatur intercessionem adversus alterum imponere in eiusdem provincia. Nil igitur mirum si posteriore saec. IV concipi possint magistratus alii numerosiores in dies, qui participant imperium consulum, eorum potestate veluti decerpta, imminuta, prout infra videbimus.

* * *

Subiectum duplex imperii singulis annis eligitur; quae imperii definitio mirum in modum cohibet praetores, consules coram populo, et praesertim coram senatu, a quo exquiri potuissent quanam ratione munus consulare exercuerint: intercessio autem alterum praetorem coram altero cohibet; munus ad tempus, utrumque coram senatu. Annus computatur non certa quadam die statuta, sed ex quo munus reapse fuerit initum; attamen postea, initio belli punici, anni consularis initium statutum est ad Idus Martias; postremo vero ad Kal. Ianuarias.

Hae sunt differentiae quod ad subiectum imperii; ad eas transeamus, quae obiectum afficiunt.

Praetorum seu consulum imperium idem prorsus est ac imperium regum: hoc uno differt, quod annum duraret. Latissime igitur patet, nec facile definiri potest, ut patria potestas, ut dominium ipsum.

Reges ante omnia magni sacerdotes fue-

re; praetores sunt magni Reipublicae duces; inde plenissimum imperium, quo et delectus fierent, et pax atque concordia domi bellique servaretur; inde iurisdictione tum civilis cum criminalis. Praetores quia duces delectus imperare possunt et renentes coercere; tributa insuper imperare copiis instruendis, sustentandis. Quae initio sine senatus consilio non imperabatur; at praetor senatum convocat populique comitia quum vult.

Attamen aliquid ex imperio ipso detracatum est; in sacerdotio primum et in iudicio.

a) In sacerdotio; nam praetores pree primis sunt duces; itaque rerum divinarum curam amittunt, vel melius aliis committunt, relinquunt: hi sunt Rex Sacrorum et Pontifex Maximus. Manet igitur rex et in Republica; rex sacerdos; tamen amisit imperium: sacris tantum faciundis preeest, atque «ne additus nomini honos aliquid libertati officeret»,² vetabatur quodvis aliud munus exercere; interdum, sacris expletis, et a curia curru effugere tenebatur; quinimo et in sacris sensim sine sensu concessit plane Pontifici Maximo, qui collegio Pontificum, licet Rex sacrificulus adhuc preestet nomine pontificibus, nomenque anno daret. Utique haec deminutio non est in infinitum extendenda; nam sacra omnia quae exercitum afficiunt praetor per se perficit, uti auspicia sumere, oraculum consulere; praeterea sine consulibus nihil innovatur in re religiosa; denique, ut iam reges, ita nunc praetores feriis latinis quae in Albano monte celebrantur adsunt, officium preestant sacerdotale.

b) In iudicio. Distinguendum est iudicium criminale a iudicio civili. Quod ad iurisdictionem poenalem spectat, quae antiquior et verior est, vidimus iam non esse attendendam traditionem quum refert «provocationem ad populum» iam sub regibus

¹ Cfr. fasc. sup.

² Liv., xi, 2.

exstitisse. Eadem refert primum institutam fuisse provocationem initio Reipublicae, a primo consule Valerio Publicola lege, quae ab eo nomen accepit (*Lex Valeria de provocatione*, an. DIX a. Ch. n.): «Valeria lex, quem eum qui provocasset virgis caedi securique necari vetuisset, si quis aduersus eam fecisset, nihil ultra quam *improbe factum* adiecit. Id, qui tum pudor hominum erat, visum credo vinculum satis validum legis; nunc vix serio ita minetur quisquam» ait Livius (X, 9, 5); quibus verbis is excludere videtur sanctionem illam «*improbe factum*» esse consecrationem. Serius provocatio deducta fertur lege Aternia Tarpeia (a. CCCCLIV a. Ch. n.), vel lege Menenia Sextia (a. CCCCLII) ad multatos ultra binas oves aut tricenos boves.

(Ad proximum numerum).

SYLVIA ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De quibusdam permutationibus faciens.

a) «Veto» usurpatum pro «iubeo non»; «nego» pro «dico non». Post haec verba «nemo» in «quisquam» transit, «nullus» in «ullus».

EXEMPLA: Epicurus *negat* opus esse ratione neque disputatione; quam ob rem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit (CIC.) — *Negas* esse ferenda quae soleam de me praedicare (CIC.) — Stoici *negant* quemquam esse virum bonum, nisi sapientem (CIC.) — *Negat* Thucydides fuisse famam Themistoclem venenum sua sponte sumpsisse (CORN. NEP.) — *Negat* Epicurus iucunde vivi posse nisi cum virtute

vivatur (CIC.) — *Negat* fuisse rectum Caio, me et consulem et legis ambitus latorem et tam severe gesto consulatu causam L. Murenae attingere (CIC., *Mur.* II, 3) — Ego, si Scipionis desiderio me moveri *negan*, mentiar (CIC.) — Lex peregrinum *vetat* in murum ascendere (CIC., *De Or.*, II, 24) — Caesar castra facere constituit et vallo muniri *vetuit*, quod procul videri necesse erat (CAES., *Bel. civ.* I, 41) — Antigonus *negavit* se ei vim allaturum, cui aliquando fuisset amicus (CORN. NEP.).

b) Latine non raro exprimitur status ubi hodierni actum enuntiant, vel vice versa.

EXEMPLA: Nulli turpius *occupati sunt* (SEN.) — Quo amore *inflammati* esse debemus in patriam! (CIC.) — Mens et animus et consilium et sententia civitatis *posita est* in legibus (CIC.) — Omnes Galliae civitates in partes *divisae sunt* duas (CAES.) — Vides ubi sit *posita* felicitas (CIC.) — *Munitae sunt* palpebrae tanquam vallo pilorum (CIC., *De nat. deor.* II, 57, 142) — Nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi studio *constitutum est* (CIC., *Off.* III, 1-3) — *Est* autem oppidum et loci natura et colle *munitum* (CAES., *Bel. civ.* III, 9) — Eum, apud Parisios adhuc, quotiens scutum variis motibus exerceretur in campo, axiculis queis orbis *erat compaginatus* in vanum excussis, ansa remanserat sola (AM. MARC. XXI, 1) — In rebus occultis et ab ipsa natura involutis omnes ante Socratem philosophi *occupati fuerunt* (CIC.) — Prospicere viri debemus ut liberorum solitudo et pueritia quam firmissimo praesidio *munita sit* (CIC., *Verr.* II, 1, 58) — Exsilium terrible est illis quibus *circumscriptus est* habitandi locus (CIC.) — Muneribus Dei sumus *instructi et ornati* (CIC.) — Iupiter Olympius *factus erat* ex ebore et auro (P.) — Non porta illud oppidum *clauditur*, sed urbe portus ipse *cingitur et continetur* (CIC.) — Tabulis interiores templi parietes *vestiebantur* (CIC.) — Caritate te et bene-

volentia civium *saeptum* oportet esse, non armis (CIC.).

c) Loco adiectivorum in «*bilis*», Latini participia passiva non invenuste usurpant.

EXEMPLA: Fuit ille vir, sicuti scitis, cum foris clarus, tum domi *admirandus*, neque rebus externis magis *laudandus*, quam institutis domesticis (CIC., *Philip.* II, 28) — Ubi cetera rigent, illic *intolerandus* aestus existit (Q. CURT. VIII, 9) — Audita est *intoleranda* Romanis vox: Vae victis! (TIT. LIV., V, 48) — Dolorem vix *ferendum* esse putabit (CIC.) — Eis otium, dvitiae, *optanda* alias, oneri miseriaeque fuere (SALL.) — Genus Numidarum est mobile, infidum, neque beneficio, neque metu *coercitum* (SALL.) — Religione eos *inviolatos* fecerunt (TIT. LIV.) — Ne *contemptissimi* esse videamur (CIC.) — *Immota manet* (VERG., *Georg.* II, 293) — Tigrim India fert, animal velocitatis *tremendae* (PA.) — Ibides pernicitatis *mirandae* sunt (P.) — Orpheus Manes adiit regemque *tremendum* (VERG.) — Insanos atque *indomitos* impetus vulgi cohibere voluit (CIC.) — Quae vox potest esse *contemptior?* (CIC.).

d) Dici potest «*stultum est*», «*astutum est*» etc. pro «*stultitia est*», «*astutia est*» etc., aut pro «*stulti est*», «*astuti est*» etc.

EXEMPLA: *Stultissimum* (= magna stultitia) est in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio moeror levetur (CIC.) — *Succumbere doloribus miserum* (= miseria) est (CIC.) — Habere quaestui rem publicam non modo *turpe* est, sed *sceleratum* etiam ac *nefarium* (CIC.) — Nunquam est *utile* peccare, quia semper est *turpe* (CIC., *Off.* III, 15) — *Miserum* est exturbari fortunis omnibus; *miserius* est, iniuria: *acerbum* est ab aliquo circumveniri; *acerbius*, a propinquuo: *calamitosum* est bonis everti; *calamitosius*, cum dedecore: *funestum* est a forti atque honesto viro iugulari; *funestius*, ab eo cuius vox in praeco-

nio quaestu prostitit: *indignum* est a pari vinci aut superiore; *indignus*, ab inferiore atque humiliore: *luctuosum* est tradi alteri cum bonis; *luctuosius*, inimico: *horribile* est causam capitinis dicere; *horribilius*, priore loco dicere (CIC., *Quint.*, 3) — Et facere et pati fortia *romanum* est (TIT. LIV. II, 12) — *Vestrum dare, vincere nostrum* est (OV., *Fast.* IV, 889) — *Dulce et decorum* est pro patria mori (HOR., *Od.* III, 2) — Hoc tempore bono viro Romae esse *miserrimum* est (CIC.) — Pecuniam praeferre amicitiae *sordidum* est (SEN.).

e) Interdum nomen substantivum adverbii locum tenet.

EXEMPLA: *Specie* urbs libera est, re vera ad nutum Romanorum omnia flunt (TIT. LIV.) — Plane te rogo atque ita, ut magis *ex animo* rogare nihil possim, ut Albino parcas (CIC.) — M. Antonius, cui vel primas eloquentiae patrum nostrorum aetas tribuebat, vir *natura* peracutus et prudens, disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem (CIC., *Or.*, 5) — Ne palma detur cuiquam artifici *initria* (PLAUT.) — Verebatur ne *per insidias* ab eo circumveniretur (CIC.) — Idem fabellas latinas *ad verbum* de Graecis expressas non inviti legunt (CIC.) — Omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sunt, et id *arte* faciunt, suntque architecti poene verborum; iidemque, traducti a disputando ad dicendum, inopes reperiuntur (CIC., *Brut.*, 31) — Caesar fit certior duces adversariorum *silentio* copias castris educere (CAES., *Bell. civ.* I, 66) — Ira libido est puniendi eius qui videtur laesisse *iniuria* (CIC.) — *Natura* omnes ea quae bona videntur sequuntur, fugiuntque contraria (CIC.) — Nemo fit *casu bonus* (SEN.).

f) Adverbio «*fortasse*» eleganter sufficiunt «*haud scio an, nescio an*».

EXEMPLA: Qua quidem *haud scio an* excepta sapientia nihil melius homini sit a diis immortalibus datum (CIC., *Am.* VI) — *Nescio an* satius fuerit populo Romano Si-

¹ Cfr. fasc. sup.



cilia et Africa contento esse, quam eo magnitudinis crescere ut viribus suis conficeretur (FLOR. III, 12) — Quae parare arduum fuit, *nescio an* tueri difficilius sit (TIT. LIV.) — *Nescio an* satius fuerit populo Romano Sicilia et Africa contento fuisse (FLOR. III, 13) — Mea quidem sententia *haud scio an* ulla beatior senectus esse possit (CIC.) — Qua (amicitia) quidem *haud scio an*, excepta sapientia, nihil melius homini sit a dis immortalibus datum (CIC., Am. 6, 20) — *Haud scio an* multo sit etiam adiuvandus magis (CIC., Mil., 34) — Expulsi sunt magna querela et gemitu non dicam bonorum, qui *nescio an* nulli sint, sed plane hominum omnium (CIC., Att. IV, 3) — Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet, et *haud scio an* ita sit (CIC.) — Quae fuit unquam in ullo homine tanta constantia? Constantiam dico? *Nescio* melius patientiam possim dicere (CIC.) — Contingit mihi quod *haud scio an* nemini (CIC.) — Quae parare arduum fuit, *nescio an* tueri difficilius sit (TIT. LIV.) — Aristotelem, excepto Platone, *haud scio an* recte dixerim principem philosophorum (CIC.).

g) «*Quin*» saepe ponitur pro «*qui, quae, quod non*, etc.» praecipue post «*nemo est, nihil est, quis est*» et similia.

EXEMPLA: Nemo est *quin* ubivis quam ibi ubi est, esse malit (CIC., Fam. VI, 1) — Lycurgus nullam tulit legem *quin* suo exemplo confirmaret (CIC.) — Nemo Lilybaei fuit, *quin* istud viderit; nemo in Sicilia, *quin* audierit (CIC.) — Nemo fere sint a M. Marcello Syracusae saepe audierit (CIC.) — Nihil est *quin* male narrando possit depravari (TAC.) — Ecquis fuit *quin* lacrimaret? (CIC.) — Sic habeto, mi Tiro, neminem esse qui me amet, *quin* idem te amet (CIC., XVI, 4) — Nulla est voluptas *quin* assidue taedeat (PUB. SYR.) — Nil tam difficile est *quin* quaerendo investigari possit (PUB. SYR.) — Nemo est tam fortis, *quin* rei novitate

perturbetur (CAES.) — Nemo est *quin* eo quo consuevit libentius utatur equo quam novo (CIC.) — Quis tam imperitus, quis tam procul a litteris, *quin* sic incipiat? (QUINT.) — Quis unquam templum illud aspexit *quin* avaritiae tuae testis esset? (CIC.) — Hortensius nullum patiebatur esse diem *quin* aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum (CIC.).

S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

HORAE SUBSECIVAE

Ad pueros mense Mariali

*Diffugere nives, silescit ira
e saeva Boreae furentis Arcto;
iam ver egelidi movet Favoni
auras molliculas viretque cuncta
tellus gramine discolare picta.
Iam sol lucidior polo refulget
sopitamque solo, rigente bruma,
vitam multiplice ciet decore.
E clivis tenui fluunt susurro
rivi pinguis lubrici per arva.
Luci frigidulis aves sub umbris
certatim melos integrant canorae,
et natura nova fremente vita
omnes explicat affatim lepores.*

*Iesu vos quoque debitas, ephebi,
laudes dicere condecet Parenti,
quae praestat specie omnibus creatis.
Virgo candidior nitet ligistro,
Virgo est sidere pulchrior micanti,
Virgo est laetitiae beata mater,
Virgo est delicium perenne cordis.
Quid cessatis adhuc? amate dulcem
Reginam, miseris levamen unum,
quae mundi prohibet tenebricosi
vos blanda illecebris capi dolosis.*

*Grati purpureis rosis quasilla,
decedente die, repleta, frugi
sicut filoli feratis ipsi;
carpentesque manu e virenti agello
florum fasciculos venustiorum
signum cingite Virginis corollis.*

*Flexo poplite dein ad Eius aram
puro e pectore voculis tenellis
una dulcisonos modos ciete.*

*Turpes pellite iam moras, ephebi,
non donabit enim Parens amata
ullo munere negligentiores.
En vos respiciens polo, lacescit
corda ut candida dedicatis Ipsi,
et palmas agitans manu decoras,
quis donis dociles suos clientes
caelo pensitet, indicat, beato.*

Epigrammata

GENTIS HUMANAEE PROFECTUS

*Non opus est Christo! Natura tendimus ultra,
mox et erit Superis par renovatus homo!
— Nae, minime inficior! Profectus signa tuere:
praelia, stupra, neces, furta et adulteria!*

"IDEALISMUS"

*Nil hominem est supra! Procedunt mente creante
omnia, et a nobis gignitur ipse Deus!
— Tunz meae fructus mentis diceris, inepte?
Id genus at numquam turpia monstra tuli!*

"COMMUNISMUS"

*Quae bona quisque parit, cunctis communia
[sunto]
Fur est qui proprium quaerit habere sibi!
— Tutemet es furax qui vis aliena potiri,
cui labor invisus, cui grave semper opus!*

IUS

*Futile conventum ius! a vi gignitur usque!
Vis stat, dum valeo, pro ratione mihi.
— Non aliter sane loquitur sicarius atrox,
Non aliter sylvis bellua dira necat.*

HIRPINUS.

Semper vivamus, ut rationem nobis reddendam arbitremur.

LACTANTIUS FIRM.

*Nihil est hominis prudentia dulcius, aut sagaci
ac bona mente melius.*

CIC., Tusc.

CERTAMINA POËTICA

De certamine poëtico Hoeufftiano

De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXL ab Academia Regia Disciplinarum Nederlandica relata sunt quae sequuntur:

« De tredecim carminibus ita est iudicatum :

Praemium aureum reportavit Carmen c. t. *Templum Divini Spiritus*.

Sequuntur omnium carminum nomina:

1. *Cyllarus, Sonipes victor;* 2. *Syringos metamorphosis;* 3. *Calamus et cyathus (Lusus);* 4. *Templum Divini Spiritus;* 5. *Martiae kalendae;* 6. *Animalium convexus;* 7. *Ad amicum epistula;* 8. *Exsul rerum et vitae;* 9. *Epicurus moriturus;* 10. *Levia gravia;* 11. *Vita quae vivitur;* 12. *Sententiae;* 13. *Scholae mediae apud Italos instituenda auspicio.*

Ad novum certamen cives et peregrini invitabantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. ian. a. MCMXLII mittantur ad het Bestuur der Nederlandsche Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae non men et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transcribendo portabile prelum britannicum (type-writer) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen prae-mio ornatum sumptibus ex Legato faciendis typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante Kal. iul. proximas fieri debebit.

Exitus certaminis postremum in conven-

tu Ordinis mense aprilii MCMXLII pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 1^o maii, a. MCMXLI.

P. SCHOLTEN
Ord. lit. acad. reg. ab actis».

COLLECTIONES ET COLLECTORES

Visum nonnullis est rerum colligendarum studium non esse naturae insitum humanae, sed ad hanc accedere et quasi superimponi iuxta indolem uniuscuiusque, locum, societatem et momenta cetera, quibus voluptas excitatur; inde fit, ut, monente poeta,

... trahat sua quemque voluptas.

Quae omnia longius a veritate abscedere mihi videntur, quum neque multorum praeceptis multisque litteris, sed experientia et aliena et mea semper conspexerim pueros, quae ipsis grata iucundaque sint, asservare, e medio domus eripere et in angulis collocare, aequalibus suis carissimis, ubi locus diesque iocandi adfuerit, ostendere, pretiosa veluti et magno parta labore, vel conquisita diligentia, vel prae-mio pro bene patratis accepta dono a parentibus, a consanguineis, aut — quis dicere vetet? — audaci manu et industri surrepta. Sic in germine ipso et in exordio vitae nostrae pullulat studium hoc una cum reliquis, et fit initium tum collectoribus tum colligendis.

At crescentibus et firmioribus annis, a puerilibus crepundiis ad graviora fit gradus et quasi quidam ascensus, quo aperitur ille mentis et corporis habitus, quem nos ingenium, indolem, genium vocamus, iuxta quem aut in virtutia dilabimur, aut in virtutem attollimur. Quum igitur desiderium hoc vel modo ab initio annorum ac teneris

ab unguiculis erumpat, vim suam fortius adolescentia in ipsa praestitum, exhibetur, iure dicendum erit aliquid universo humano generi additum atque commune; quod autem ex instinctu aut ferme processerit, quasi naturae lex quaedam habendum censemus, quia commune quod est, a natura est.

Nec quispiam dicat in hisce puerilis levitatis aliquid inesse, atque ideo se in suspicionem iure venire; nam ideo naturale dicimus illud, quo levitas puerilis, nondum assueta repugnare naturae atque instinctui, facile commoveatur. Idque validius probatur si consideremus in firmiore aetate, quae tum ex intellectu, tum ex corde, tum ex utrisque dimanent. Ecquid agunt infelicissimi parentes illi, quibus unigenitum

Abstulit atra dies et funere mersit acerbo?

Quaeque sive studiorum, sive iocorum causa ipsius erant, indumenta quibus utebatur, crepundia quibus delectabatur, capillos, imaginem, libros, si forte sint, colligunt, et quasi in sacrario quodam deponunt, quotidie revisendos moerentissimis oculis, quotidie lacrimis rigandos. Quid est, quaeso, collectio haec quasi necessitas premens? Et si quis semet bellicis gestis insignem fecerit, nonne domi trophaeola quaedam erigit ad rerum gestarum memoriam posteris suis sua cum laude credendam? Quid si maiorum suorum trophaea pariter domi servaverit pius? Quid si speraverit posteros alia insuper huiusmodi addituros? Da nunc hominem, quem scientia quoad papiliones, vel quoad flores delectaverit. Si talis fuerit, qualem supponimus, praestantiores papiliones, flores qui magni aestimantur modo colore, modo specie servabit. En collectores, en collectors, en collectiones in promptu.

Itaque triplex collectionum et collectorum genus. Alterum fit ex pietate ac dilectione erga vita functos carissimos, sive in maiorum, sive in filiorum numero hi sint,

sive inter amicos recenseantur. Alterum autem studiorum disciplinarumque causa, quibus debemus ea, quae in museis tum publicis tum privatis cumulantur quotidie; ea quae historiam spectant, effossiones monumentorum, aedificiorumque, oppidorumque priscorum in quae saeculorum, vel barbarorum ira desaevit, vel Martis vis perculit, vel, uti Herculani, Pompeiis, et Stabiis fuit, subita ruina terraemotus, vulcani, ac diluvii cooperuit, oppressit; ea quae pictoram ad artem pertinent; ea quae armorum genera apud veteres et recentiores ostendant; ea quae «botanicam» ac «zoologiam» respiciant, sexcentaque huiusmodi. Quibus in omnibus et in singulis, exceptis publicis museis ad scientiam tum confirmandam, tum amplificandam, recurrit illud poëtae, quod superius expressimus, nempe quemque sua voluptate trahi; voluptas autem est in iucunditate, quam percipimus obsequentes indoli et ingenio.

Tres mihi fuerunt amici, qui nunc desiderant frustra inter mortales; unus ex hisce, Lauretus Carboni, cum in Meridionali America grave munus obiisset, suis obsequens moribus (solebat enim in patria a pueritia venationem exercere), domum remigrans tot retulit aves illius regionis conditas aromatibus, quot potuit; pretiosa supellex a *colibri* «ave-musca», ad immensum condor Alpium Americanarum. O deliciosa visu domus tot referta volucribus et multiformibus, et multicoloribus, *pluma referentibus Irim!* Alter, qui cum Laureto illo munus et gesserat — Mauti huic nomen — omne serpentum serpentiumque genus conquisiverat et comparaverat, atque impendio enormi in amphoris, urceolis, phialis, dolis vitreis, essentia vini plenis, quam *alcool* nuncupant, bestias illas exsecrebiles considerat ab «angue corallino», qui infantuli digitum vix aequat (aspidis genus fulminans, non venenans) ad «pitonem maculosum», ad «boam» serpentinum vectem. Horribilis visu illa mihi domus,

in qua, depositis in abacis, in mensis minoribus, mediis in aulis gigantei minabantur illi serpentes. Ac tamen Mautio illi suavissimum erat considerare diu singulos ex illo populo anguineo, qui si revivissent, servantem, fulmine citius, morte obruissent. Tertius inter hosce eques Ioannes Carolus Rossi, cui nihil hodiernum, omnia antiqua placebant ex manuscriptis ad arma, ex figulinis ad aurea et argentea, ex papyris ad insculpta aera, ad omnia denique, dummodo antiqua, sive tabulae, sive libri essent, sive marmora, sive ebur, sive gemmae; collecta autem et congregata ita adamabat, ut mori potius quam ab iis avelli eligeret; nec minimum quid divendebat, nisi oblata spe comparandi et emendi vestigia divendit. Nec domi sedebat, neque dormiebat, neque cum amicis colloquebatur nisi in aulis, nisi in cubiculis, quorum per parietes, per pavimenta, per sedilia, per medias mensas distributae essent omnis generis reliquiae, ita ut quae-rendus pedi, querendus esset corpori locus, ubi stare, ubi sedere, ubi moveri quis posset, nec quidquam antiquum premeret, aut offendere. Ecquid hoc? Instinctum collectionum communem mens direxerat in singulares unicuique metas, aliis vero sic, aliis autem non sic. Quatenus porro? Eo, credo, ut avarus in refertas auro et argento arcas incumbens et incubans, nonnisi mihi collector furibundus pecuniae per fas nefasque videatur, quam adorat, qua beatus contemplans est. Vide quam parva et prava sapientia saepe homo regatur!

Nunc autem, quoniam in fine sumus, iuvat percensere et recensere nonnullos ex clarioribus genere, auctoritate, moribus, qui colligendis rebus diligentissimi dede-reint manus. Wilhelmus, Germaniae iam imperator, maiorum suorum indumenta, quibus domi militiaeque usi sint, inquisisse, asser-vasse dictus est, a Wilhelmo sapiente, Magno Electore, ad recentiores usque suos, quae omnia credo nunc in Museo Berolini

patere. Carmen Sylva, Rumaniae quae fuit regina, pupas undique collegit, ad morem regionis, unde empta olim sunt, vestitas. Regina Anglorum Victoria supellectiles familiae regiae, cui a Stuart cognomen, congregavit, atque eo processit, ut pro baculo, quo usus est infelix Carolus Eduardus solio inhians, quatuor libellarum millia solverit. Russorum illa infelix imperatrix nuncias theatrarum chartas uncialibus characteribus exaratas, ut populo prostarent, congregasse fertur atque in plures redigisse libros. Orator quidam Anglicus legibus ferendis, cuius nomen me fugit, chartularum millia comparavit, quibus coenarum est ordo sumptuosarum; ab americano tamen quodam Brooklin superatus, qui ex eodem genere quinque millia collegit. Alius animalia undaque sibi voluit, quibus candida pilo pellis, eaque in egregio carcere custodibus alenda et curanda tradidit. Dux Lonsdale scuticas ultra quam sexcentas collegit, quas equites et aurigae insignes manibus versarint. Adelina Patti, cantrix illa notissima, pugiones, acinaces, cuspides omnes. Ellen Terry conspicilla quaeque et lenticulares crystallos virorum fama gentium celebratorum.

Claudamus rivos; enumeratio enim nostra, etiam si plures diffusa per paginas, non tamen omnia colligendarum, collectarumque rerum nomina percurrere poterit.

P. d. V.

Selecta ex bibliothecis et archivis

Anatomica humani corporis synopsis¹

Ex iis autem in proclivi est intelligere, quo pacto alterne post inspirationem expiratio contingat: depressis enim costis elevatoque diaphragmate, necessario thoracis cavitas imminuitur et pulmones compressi

¹ Cfr. fasc. sup.

in vappidum aërem multis a sanguine exprantibus, iisque aut nocitulis, aut saltem superfluis halitibus permiatum valide nituntur, eumque in atmosphaeram extrudendo, locum faciunt novis a dextero cordis ventriculo propulsis liquidis, aëre rursus atque aethere imbuendis.

Quoniam vero iam initio monuimus, humanum corpus machinam esse se se moventem, machinulisque eiusdem ordinis coagmentatam, sequitur modo ut cognoscamus duo videri ad obeundas motiones summopere necessaria, tum scilicet fulcra, vectes ac funes, tum vim potentiamque motricem. Sunt autem ossa vectes et fulcra humani corporis, quorum alia variis apophysibus epiphysibusque in orbem, alia in rotundos pariter sinus desinentia, validisque ligamentis ac fibulis firmata, ad varios eosque circulares edendos motus articulantur, quibus musculos, tamquam funes, aptari cernimus, qui, ubi ossa deficiunt, ipsi, ob superadditam tensionem, vectes pariter et funes sunt. At vis, seu potentia, qua naturale hoc automaton, sive totum, sive per partes a vectibus funibusque in motum agitur, posita est in vividis illis floridis vegetisque sanguinis particulis, quae congruis separationibus defecatae, aëre insuper aethereque gliscentes, tunc iure nuncupantur spiritus animales, quum ab eodem sanguine in cerebri ac cerebelli cortice secretae, per eorumdem medullam excurrunt, indeque per universos cum artuum, tum viscerum nervos ad suos quique usus nunquam non deducuntur, servantque minimis etiam in villis undularem eum motum, quem primum a corde cum sanguine, subinde a dura matre intra cranium acceperunt. Hic autem undularis per nervos excursus praestat in membris, atque in organis pene omnibus tantopere celebratum tonicum motum, seu aequalem contranisum; unde musculi antagonistae, in apparente quantumvis quiete membrorum, passim aequilibrantur nec non stomachus

atque intestina, immo vascula omnia pulsus et contractiones habent peristalticas; alternas scilicet cum excurrentibus per illorum cavitates corporibus.

Sunt praeterea motus voluntarii, qui per eosdem animales spiritus perficiuntur, quum sanguinis cursum hac illa arbitrio in musculis moderentur; eo solum a naturalibus motionibus discriminare, quod his eliciendis a cerebello potissimum continue, placideque spiritus immittuntur; voluntariis vero nova ulterius pro animae imperio superadditur a cerebro in nervos determinatos impulsio, per quam, adacta vi in uno, alterius musculi antagonistae repugnantia vincitur; membrumque tanto liberius moveretur, quanto per assuetudinem expeditiores meatus discurrentibus spiritibus patuerint. Qua interim cerebri parte (clare formatis rerum ideis per recursum undarum spirituum animalium a sensuum organis) huiusmodi voluntatis imperium exerceatur, spiritusque modificantur, diriganturque, alibi forte me explicaturum confido, ut nonnulla (nisi proprius me fallit amor) ab aliis minime observata producam.

Est autem commune tam naturalibus, quam voluntariis motibus, ut villi, fibrae, atque ex iis contexta motionum animalium instrumenta (membranae, musculi, tendinesque) elastica facultate instructa sint, qua, quum distrahitur, ad priorem situm redire, seu resilire conantur; quem sane conatum intercepto intra minima illorum spatia aëri aetherique (ut in artefactis chalybeis horologiorum elateribus videmus) acceptum debent; quare nisi perenni respiratione nova semper aetheris, aërisque substantia suggereretur, genus omne fibrum, quum molles sint, ac debiles, citissime hebesceret; quemadmodum universum corpus langueret, atque moreretur, si alimentorum particulae in locum illarum, quae per successivos motus tam a fluidis, quam a solidis dissolutae avolant, recens continue a chyliferis, lymphicisque vasis,

nec non ab arteriis, et nervis minime subministrarentur; quam utique reparationem nutritionis actum appellamus.

Illud postremo non est mihi silentio praeterendum, quod Anatomici hactenus (quantum noverim) efficientis cause animadversione non tetigerunt, finem dumtaxat indicasse contenti: videlicet, unde habent humani corporis machina, ut ad lineam consistat, caelumque videre possit, et erectos ad sydera tollere vultus; quum prona spectent animalia cetera terram. Non enim id vel sponte dumtaxat sua, vel solo iussu et assuetudine faciunt homines, verum eadem illa mechanica necessitate, qua bruta animalia prona coguntur incedere.

(Ad proximum numerum).

I. M. LANCISI.

ANNALES

Europaeum discrimen

Quum superiores commentarios nostros prelo mandabamus, Berolino ad Urbem adventabat Iosuke Matsuoka, Iaponiorum exteris administer, qui praesens nova consilia ageret de tripartito foedere a civitate sua cum Germanica et Italica iam, prout suo tempore diximus, inito. Romae et Summum Pontificem Pium XII invisit cum eoque diuturnum habuit colloquium, cuius visi sunt felices exitus in decreto illo, post eius in patriam redditum promulgato, quo libertas publico Catholicorum cultui in Iaponia sanciebatur. Moscoviae quoque sagax administer in itinere substitit, ibique passionem cum Russorum populo firmavit, qua invicem utriusque territorii integritas promitteretur, non in alterius ullius bellantem partem inclinatio statueretur, pariterque sanctitas hinc gentium Mongolicam rempublicam incolentium, inde Manciucicum imperium.

Russi interim, die v mens. Aprilis, al-

insulasque Vegiam (*Veglia*), Arbam, minoresque circum ad Iablonacum (*Jablonacz*), usque; insulas praeterea Iadrensis (*Zara*) maris, Sebenici ac Trigurii (*Traù*) regiones, Spalatrumque (*Spalato*) urbem cum viciniis suis, praeter Brachiam (*Brazza*) et Phariam (*Lesina*) insulas. Tradendas quoque Italiae esse Boas (*Bua*), Zironam, Solitam (*Solta*), Issam (*Lissa*), Bisovum, S. Andreeae, Pomum minoresque circum insulas, et Echinades (*Curzola*), et Melignam (*Meleda*), agrumque Catharicarum (*Cattaro*) faustum, iuxta lineam ad Czernagorae (*Montenegro*) fines productam. Italia autem Croatici regni libertatis fidem sibi sumit, eiusque finium integratatis.

Interim inter Galliam et Germaniam actiones perficiuntur ad induciarum conditiones retractandas, occupationis expensas minuendas, occupatique a Germanis territorii mutationes inducendas; de quibus quum Eden, Anglorum negotiorum ad exteriores minister, sermonem in publico Anglorum legatorum coetu haberet, addidit scire se, Germanos a Gallis facultatem obtinuisse aeroportibus Syriacis utendi; Roosevelt autem apud Americanos suos asseveravit colonias Gallicas omnes Germaniae arbitrio iam esse dimissas. Galli hasce affirmationes vehementer repugnarunt; ex quibus facile cuique apparet quo demum Anglorum septentrionaliumque Americanorum spectet oratio.

Eoque magis quod Angli aliam bellicae actionis basim amiserunt, Cretam insulam dicimus, quo primum Germani milites caelo instrumentis casum retardantibus appulere, deinde Itali iidemque Germani, post aeronavalem pugnam: tunc etiam duodecim dierum spatio territorium omne in hostium manus cecidit, Anglis copiis vel captivis factis, vel in fugam, nec sine magna clade in ipso mari, versis.

In Africa ad Tobruch vehementissime adhuc pugnatur. Italicum autem praesidium, cui Augustae Praetoriae e Sabaudica gente

hodiernus Dux praeverat, in monte Alagi ab hostibus longe maiore numero circumventum, quum per mensam et ultra strenuissime obstitisset, deficientibus tandem munitionibus, commeatibus, ipsaque aqua medicisque vulnerum remediis, in deditio- nem venire coactum est. Hostes armorum honores invicto agmini reddidere.

Claudere hodie sanguinis rivos nequimus, prius quam novae orationis mentionem faciamus, quam Hitlerus Germani populi legatis pro contione habuit die IX m. Maii; in qua resumptis belli vicibus in Hemea (Balcanica nunc vocata) regione, Italiae magna ex parte deberi asseruit quod Victoria tam brevi temporis spatio intercesserit, quippe quae post diuturna cruentaque sex mensium certamina non solum bellicas Graecorum vires compescere, sed ita eos debilitare valuerit, ut ruina evitari non posset. Monuit iterum, idque profecto pro Americanorum auxiliis Angliae deferendis, in navem quamlibet cum aut sine comitatus praesidio Angliam petentem siluros a Germanis immissum iri.

Regia funera

Lutetiae Parisiorum diem supremum obiit Natalia, Milani, Serborum regis de Obrenovica gente, vidua. Post mariti mortem et infandam Alexandri filii necem, Catholicam religionem amplexata, procul a populo, cuius regina fuerat, per annos quadraginta privata vixit bonis operibus unice dedita.

Infelix in terris, felix vivat aeternum in Christo!


POPLICOLA.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



De exterarum gentium invasionibus¹

Narrat Sallustius sub finem belli Iugurthini, victo Iugurtha Gallos in Italiam transire voluisse, atque quum cum ceteris gentibus a populo Romano de imperio tantum fuisse dimicatum, cum Gallis de singulorum hominum salute pugnatum esse. In ceteris enim bellis victori sufficit eos removisse aut sustulisse, qui imperabant; in hisce agitur de singulorum hominum salute. Nam quae gentes alienas provincias invadunt, veteres Colonos omnes expellere et interficere conantur, ut ipsae eorum bonis fruantur.

Huiusmodi bella habuit populus Romanus terna. Primum a Gallis inlatum est, qui urbem occuparunt, et Thuscis iam ante Galliam Cisalpinam ademerant. Id ex binis causis ortum testatur Livius. Nam fama ac dulcedine frugum, maximeque vini, novatum voluptate captam eam gentem, Alpes transiisse agrosque ab Hetruscis ante cultos possedisse. Deinde ut idipsum auderent, effecisse abundantem hominum multitudinem, quae vix regi posse videretur. Quamobrem eorum rex Ambigatus exonerare regnum praegravatum turba hominum cupiens, Bellovesum ac Sigovesum, sororis filios, missurum se in quas dii auguriis dedissent sedes ostendit; quantum ipsi vellet numerum excirent, ne qua gens advenientes arcere posset. Tum Sigoveso sortibus datis Hercinii saltus, Belloveso latior in Italiam via a diis data, qui, superatis Alpibus, Imbrium agrum, haud procul a Ticino flumine, occupavit, universamque eam regionem, quae aetate nostra Longobardia appellatur. Atque inde successu temporis ab iisdem Gallis ortum est bellum Romanis primum.

(Ad proximum numerum).

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI*.

FABULAE**Asinus et Leo**

Quum quodam tempore coniuncti foedere et amicitia una iter facerent Leo et Asinus, conspecta hic Luporum caterva, procurrat audacius et clamorem quam maximum edidit. Tum Lupi, qui Leonem etiam animadvertisserent adesse, Asinum quidem illi deriserunt, sed celeriter se fuga subduxere. Asinus autem interroganti Leoni quaenam tanti clamoris causa, et quid factum esset, respondit se Lupos conspectos abstergere voluisse, a quibus derisus fuisse, quum ipsum Leonem visum statim fuissent. — Recte — inquit Leo —; non enim clamores, sed vim metuit Lopus.

Fabula indicat, fortes et constantes viros non verbis, sed factis animum attendere.

locosa

Pater TUCCIO obiurgat:

— Nonne tu, nequam, fuisti, qui cum fratre natu minore rixans, eius auriculam morsu petiisti?

TUCCIO: — Cum eo quidem rixatus sum, sed auriculam ipse sibi momordit.

TUCCIO historiae periculum facienti,

MAGISTER: Te pudeat! Gracchorum vices ignorare...

TUCCIO: Atqui in alienis rebus curiosus minime sum!

Aenigmata**I**

Sum tegmen capitisi. Me spiritus asper inibit?
Divinum numen me, pie Persa, colis.

II

Infestos sibi vel fratres ego reddere par sum.
Littera mutatur? Membra quiete iuvo.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore Maii mensis fasciculo proposita his respondent: 1) Ars, Mars, Pars; 2) Tigris.

Ann. XXVIII

Romae, mense Iunio MCMXL1

Fasc. VI



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXL1 est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

CAII RABIRII EQUITIS ROMANI CASUS, VICES, NEGOTIA

In romana republica, si altius perspicere voluerimus, Aesopianam fabulam profecto videbimus, quando

Vacca, Capella, et patiens Ovis iniuriae Foedus fecere cum Leone in saltibus.

Senatorio ordini consulatus, proconsulatus, magistratum supremi honores, pontificales pleraque dignitates et munera; equestri cetera quae lucrum darent gerentibus, uti vectigalia, portoria, census, tributa colligenda. Quid plebi restabat? Officium profundendi pro patria, patriciis equitibusque vitam cum sanguine, alieni aeris adeundi quoties premeretur inopia, vendendi quae reliqua erant in miserrimis dominibus, denique una cum uxore, cum liberis in alterius potestatem necessitas transeundi, et si plures essent, quibus deberet pecunias, discerpanda, secunda, dividenda iis corpora daret.

Adversus intolerabiles conditiones hasce plebs oppressa surrexit, et pluribus antea tumultibus concitatis denique in Montem Sacrum secessit, patricios et equites orbos in orba et solitaria urbe relictura; quapropter tribunos plebis primum, qui plebem supraem auctoritate tuerentur in Senatu, mox communes cum patriciis honores,

dehinc matrimonia vindicavit, legemque agrariam postulavit. At haec dum geruntur, et fortasse turbulentius geruntur modo Gracchanis seditionibus, modo Cinnanis et Sullanis tumultibus, modo civilibus bellis inter Pompeium et Caesarem conflatis, postea inter Octavianum Caesarem et Brutum Cassiumque productis, — nam vera causa cineri doloso supposita nominibus tantummodo quaesitis arte latebat, — Romani equites in lucra sua incumbeant vigilantissimi, nec quidquam intentatum domi militiaeque, Romae et in exteris civitatibus relinquebant, quibus ipsi auro, opibus, rerum pretiosissimarum copia augerentur.

Hinc in immensum fere divitiis creverunt, atque eo processerunt, ut hodie vix credibilia credamus, quae tunc fere communia fuere.

Rei exemplar est romanus eques Caius Rabirius Posthumus, qui neque maximus, neque princeps in equestri ordine habendus est, itemque nec ultimus, sed auream inter equites mediocritatem tenens; non enim

Sedibus... magnis in primis eques
Othonem contempto

sedebat. Si autem talis hic, quid de T. Pomponio Attico, quem ditissimum scimus, qui plurima centena HS milia dono dabat amicis, qui tritici sex medimnos, scilicet, modios totidem viritim singulis Atheniensibus

distribuebat, qui alieno aere Athenas gravatas saepe suis opibus levabat, atque ita levabat ut usuram nunquam ab iis acceperit? Quem putas, o lector, fuisse Moeccinatem, aequum regibus potentissimis, cuius nutu, consilio, sententia omnia, imperante Augusto, administrabantur?

Exemplum ergo acceptabile cuique sumimus; nam extrema cavemus, et a maximo et minimo pariter paene distamus. Huius ergo referemus pauca, quinimo, ut inde quisque arguat, prouti videbuntur ad rem.

Ineunte ante Christum saeculo pecuniosus eques Romae degebat Caius Curtius, qui excellere et emicare p[re]a ceteris aestimabatur, et hic ante diem aetati debitum vita decedens nasciturum filium avunculo commendavit, ut tueretur et excoletet iis praesertim artibus, quibus ipse moriens et cognatus opes multas congesserant. Nascentis apud avunculum Caius Rabirius appellatus est; eo quod autem post funera patris natus esset, Posthumus est cognomine nuncupatus. Hic autem ita paternae spei, ita avunculi disciplinis respondit, ut agendi compos factus adolescens tam ab exordio se p[re]aestiterit, quam postea cognitum cives sui iudicarunt. Privatis enim clientibusque mutuum dare pecunias, mutuum et municipiis, coloniis, oppidis dare, atque haec non levi foenore parabantur; nam pro singulis centenis duodecim quotannis accipientes reddebat; verumtamen, ubi saeva necessitas aeris alieni ineundi esset, prouti Brutus sibi solutum quotannis voluit, duo de quinquaginta annua pro centenis singulis mutuandi redibant. Utrum haec eadem Rabirius provocaverit ignoramus; non ignoramus autem reges interdum ad eum confugisse ut ab angustiis, plerunque impositis, foeneratoris ope sublevarentur. At usura crudeli dabatur pecunia, ita ut Cappadociae rex Ariobarzanes Pompeio mutuanti, tria et viginti libellarum centena millia (2,300,000), Bruto centena

millia sex usurae causa annua persolveret. Praeter haec autem Rabirio patebant vectigalia, portoria, census, et quot sub hasta dababant certa pecunia proposita, quae municipiis, coloniis, oppidis redderentur; ille autem qui redempta haec, interdum parvo pretio, habebat (nam coram homine pecuniosissimo et Romae potentissimo nemo, illo licente, contra audebat licere), facultates suas quam latissime augebat, quum genus omne debentum sua voluntate ad sanguinem usque posset torquere. Verrem a Tullianis orationibus noscimus; Rabirium et huiusmodi reliquos facili conjectura noscemos.

Coluit inter ceteros Ptolomeus XIII (Auletes) rex Aegyptius Rabirium, ex quo magnam auri vim postulavit et, Caesare faciente, impetravit. Quum enim percrebuisse sermo a Ptolomaeo XIII testamentum fuisse conditum, quo populus romanus haeres totius regni Aegyptii instituebatur, Auletes autem, Ptolomaei nothus, regno excludebatur, Auletes hic cum Caesare pactus est, ut Senatus Populique Romani iussu paternum sibi regnum constitueretur, ipse vero Caesari sex talentorum millia (libellarum nostrarum 36,000,000 circiter) solveret. Caesaris, Pompeii et Crassi, qui tunc primum triumviratum obtinebant, auctoritate et potentia quaque Romae gerabantur; neque tanta pecuniarum aspergine siccos Pompeium et Crassum caruisse putamus; itaque et Senatus consulto et scitu populi, Caesare satagente, Auleti regnum confirmatum est. Rabirius, tanti negotiis sequester et medius, dimidiam pacti auri partem illico ex proprio aerario Caesari persolvit. At insurgentibus in Auletem Aegyptiis, non enim hic, tanto alieno aere gravatus, subditos tondebat suos sed deglubebat, clam demigravit Romam ut in regnum auxilio P. R. restitueretur. Aurum ad regios fastus, ad vota aucupanda profusus dabant Rabirius, cui grave impendebat nisi Auletes in regnum rediret, fieretque

facultas reddendi quae acceperat. At contra respondentibus Sibyllinis libris, nihil extricatum est, et conclamat in Ptolemaeum hunc esset, nisi Gabinius, Syrie proconsul, constituto praemio decem talentorum milium (libell. nostr. 60,000,000) haec faciente et fideiussore Rabirio, exercitu suo Aegyptum invasisset, Auletem, prostratis rebellibus, restituisse. Ptolomeus Auletes, postquam tres aberat annos, Aegyptum et solium rursus occupat; Rabirius ad curandas regis et regni opes fit administrator et administrator. Gabinius, ut pacta potiretur pecunia, mille Rabirio talenta praemio dat. Sua Rabirius et ceterorum ita curat, ut brevi Puteos naves miserit pretiosis graves mercibus permagni Romae vendendis; navem insuper arcanis oneratam ponderibus, auro scilicet rudi, aureis virgis, et gemmis.

At humana in rotis sunt, et ab apice ad imum cito labuntur. Rabirius in Aegypto carceri traditur, capite fortasse plectendus; clanculum vero evadere potuit, Romam redire, ibique res suas praedicare afflictas et perditas, seque ad assem reductum, ne quid penderet iis, qui pecunias crediderant, aut saltem ut se a fide liberaret, quam iis p[re]stiterat qui Auleti mutuum dederant, ipso suadente. At in iudicium vocatur et quia pecuniam Ptolomaeo mutuum concessisset, qua rex vota sibi inter patricios emisset, et regis administer fuisse, et particeps Gabini exstitisset. Ex his partim probari non potuerunt, partim iure facta Cicero demonstravit; equites enim nulla tenebantur lege in lucris et quaestibus erciscundis.

Dictaturam ineunte demum Caesare, Rabirium videmus huic obsequentem, et in Africa frumenta pro dictatoris exercitu comparantem; haec autem anno ante Chr. XLVI, quo erga Caesarem filii Auleti adhuc tribus talentorum milibus insolitus tenebantur.

Hi Rabirii equitis Romani casus, haevices, haec negotia, quae omnia regem potius ditissimum, rempublicam potius ma-

ximus instructam opibus, non mediocrem civis, quamquam equitis, conditionem decuissent. Quid putamus fuisse apud equites ampliorum divitiis, celeberrimis nominibus, potentia longe maiori utentes? Ab uno disce omnes.

X.

MATHIAS CASIMIRUS SARBIENSKI

Operae pretium est mentem legentium ad eum poëtam novilatinum septimi decimi saeculi admovere, qui non modo suae patriae decori fuit, sed tota in Europa cognomen Horatii Polonici sibi peperit. Quanta ille usus sit existimatione, appareat ex eo, quod carmina eius in paene omnes Europae sermones translata sunt, non minime in Germanicum.

Ioannes Nicolaus Goetz (1721 ad 1781) primus omnium tredecim carmina Sarbienviana vertit, quae post obitum auctoris in lucem prodierunt.¹ Deinde Godofredus Herderius, scriptor ille Germanorum classicus, qui poëtam plurimi aestimabat, duo carmina ex illa editione deprompta suis ad promovendam humanitatem epistulis inseruit, quorum textus ita sonat:²

AD DIVINAM SAPIENTIAM

O mens, quae stabili fata regis vice,
Ut nos pulchra tui seria consili,
An te nostra vicissim
Delectent, age, ludicra?
Nam, tu cum varia spargis opes manu,
Effusas lepido non sine iurgio
Raptamus, puerorum
Sparsas turba velut nuces.
Hic, cum sceptra capit, frangit: hic, antequam
Gestet, fracta videt. Fluctuat, heu miser,
Alteraque potentum
Mundus diripitur manu.

¹ N. GOETZ, *Vermischte Gedichte*, Mannheim, 1785.
² BERNHARD SUPHAN, *Herderii Opera omnia*, vol. 17, pag. 174 et 244, Berolin, 1881.

Punctum est, sors avidis quod secat ensibus
Inter tot populos. Hoc precor unicum
Pauper : secum avidi dum
Pugnant, tecum ego rideam.

AD RERUM HUMANARUM
FRAGILITATEM

Esset humanis aliquod levamen
Cladibus, si res caderent eadem
Qua mora surgunt; sed humanitatem
Alta ruinae.
Nil diu felix stetit; inquieta
Urbium currunt hominumque fata;
Totque vix horis iacuere, surgunt
Regna quot annis.
Parce, crudeles, moriture Publi,
Impio divos onerare questu,
Densa vicinis nimium vagari
Funera tectis.
Quae tibi primum dedit hora nasci,
Haec mori primum dedit. Ille longum
Vixit, aeternum sibi qui merendo
Vindicat aevum.

Tertium autem carmen ab Herderio ipso
in Germanicum conversum in commentario
Adrastea reperitur:³

AD CAELESTEM ADSPIRAT PATRIAM

Urit me patriae decor;
Urit conspicuis pervigil ignibus
Stellati tholus aetheris,
Et lunae tenerum lumen, et aureis
Fixae lampades atriis.
O noctis choreas, et teretem sequi
Iuratae thyasum faces!
O pulcher patriae vultus, et ignei
Dulces excubiae poli!
Cur me, stelliferi luminis hospitem,
Cur, heu, cur nimium diu
Caelo sepositum cernitis exulum?
Hic canum mihi caespitem,
Hic albis tumulum sternite liliis,
Fulgenter pueri domus.
Hic leti pedicas exuor, et meo
Secernor cineri cinis.
Hic lenti spolium ponite corporis,
Et quiquid superest mei;
Immensum reliquus tollor in aethera.

³ Apud SUPHAN, vol. 23, pag. 532, Berolini, 1885.

Sed nunc viam vivendi poëtae ipsius
prosequamur! In praedio gentis suae, cui
nomen erat Sarbiewo, vicesimo quarto die
Februarii 1595 in lucem susceptus est.
Parentes nobili loco prognati puerum duo-
decim annorum, ut litteris Graecis Latini-
isque institueretur, Pultoviam (*Pultusk*)
miserunt, ubi sodales societatis Iesu gym-
nasium moderabantur. Iam tum facultatem
poëticam manifestavit; rem ipse postea
testatur, cum Narviam, fluvium urbem il-
lam praeterfluentem, his versibus cecinit:

At tu, Narvia, quem puer
Tum primum Calabra personui fide,
Ictu pectinis hoc habe
Incisum vividi carmen in ilice:
Quem Phoebus citharae pater,
Quem lactae citharis Pierides amant,
Laetum barbita Narviam
Laetum virginei semper ament chori.

Patres autem non ignari, qualis indeoles
huic discipulo a natura impertita esset, adu-
lescentem, praesertim cum ipse ad socie-
tatem Iesu propensus esset, permoverunt,
ut die 25 Iulii 1612 nomen profiteretur.
Paulo post urbem reliquit et inter annos
1614 ad 1617 Brunsbergae, in episcopatu
Varmensi, philosophiae operam navavit.
Insequentibus annis poëtam in diversis
urbibus officio magistri eloquentiae artis-
que poëticae fungentem videmus. Anno
1620 Vilnae in studia theologica incubuit,
et biennio post ad ea conficienda Romanam
missus est.

Sicuti Horatius olim iter Brundisium
descripsit, ita ipse hoc iter Romanum, in
quo quattuor sui ordinis adulescentes co-
mites habebat, versibus persecutus est.
Posnania relicta per Brandenburgiam in
Saxoniam profectus est, ubi « apta peregrini-
nis Lipsia tecta dedit ». Iter pergenti quid
adversi prope Bambergam acciderit, ipse
nobis narrabit:

Hic alias fortuna vices, aliosque labores
Opposuit nostris insidiosa viis.

Silva fuit, multos incidunt silva per annos
Quercubus annosis illicibusque vetus.

Pergimus intrepidi tamen immemoresque latro-
Cum nos admissis insequerentur equis. [num,
Nam levis extemplo claris equitatus in armis
Umbrosum denso milite saepit iter.

Respicio; creberque manu iam fulgurat ensis
Nudus et exserta cuspide mucro sitit.

Interea pernix equitum manus advolat, et se
Prodit inauditis barbara lingua minis.

Intentant iugulis faciles ad vulnera sicas,
Et fodunt gravidis ora latusque sclopis.

Ipse meas explorat manus, manus ense carebat;

Respicio currum, currus inermis erat.
Qua data porta, ruo, dubiaeque pericula vitae

Evitaturam non moror ipse fugam.
Interea, fossae pretiosa pericula terrae,

Unum, quod tanti causa doloris erat,
Argentum, modici mala vectigalia census,

Depraedatrices diripuerunt manus.

Sed patres collegii Bambergensis inopes
viatores benigne exceperunt et novis instruc-
tos subsidiis dimiserunt. Alpibus superatis
Sarbievius mense Novembri 1622 Romam
pervenit. Aspectus urbis aeternae tantopere
tetigit eum, ut laetum sonum prorumperet:

Ipsaque Roma patet. Salve pulcherrima mundi
Roma, Palatinis ardua Roma iugis.

Pulchraque tergemini salve domus hospita mun-
Divinae salve religionis honos, [di!

Quae mare, quae terras et utroque rubentia sole
De Capitolino vertice regna vides.

Hinc Quirinales, rerum fastigia, clivi,
Hinc Vaticanae regia tecta domus.

His pater attonitum speculatus ab arcibus orbem,
Regna cui flexo procubuerunt genu,

Cui polus et late liquidi patet aetheris aula,
Et reserat famulas ad pia iussa fores.

O quanta rerum se maiestate coronat!
Quantaque vicinis invidet aula polis!

(Ad proximum numerum).

Vratislaviae, mense Maio 1941.

HANS LIS,
studiorum consiliarius.

Quod caret alterna requie, durabile non est.

OVID., Epist. IV.

VAGITUS

Parve, quiesce, puer, quae saeviat inscius pro-
tristesque late congerat ruinas. [cella

Limina lucis inis dum luctibus ingemiscit orbis
et priscus ordo funditus labascit.

Ne sonor armorum te suscitet improbus sopore
boomboque rauco machinae volantes,

et perterritrebus violentius impetu tonitrus
globus nitrato proruturus igni;

stridula nec Siren praenuntia sibilo appetentis
de nocte multa terreat pericli;

tormentive fragor crepitantia flammeam per ae-
immane quantum tela fulminantis. [thram

Aures ne feriant suspiria matris adprecantis
viro benigna fata militanti;

nec subito turbent spectacula limpidos ocellos
desaevientis efferata cladis.

Si iubare auroram lucescere conspicis sinistro,
tibi quid aetas proferet futura?

Cum mala tot soleat mortalibus exhibere passim,
bonamne dicam noxiarnne vitam?

Somnia perge, puer dulcissime, somniare blanda
tibique parcat atra cura morsus.

Angelus usque tegat cunabula blandiente penna
beetque visis comitèr serenis.

Rideat innumeris aetatula floribus decora
iugique vernet gaudio iuventa.

Denique sis felix, nec sanguine lacrimisque ter-
madere cernas omnibus parentem... [ram

Sed placida cur vix exergitus e quiete vagis,
genasque stillis irrigas tenellas?

Unde tibi maeror? cur inscius eiulas malorum?

cur innocens iam plecteris dolore?

Ludimur hic aevum cum ducere fingimus bea-
dumtaxat edit saeva terra spinas. [tum,

Nascimur aerumnis! Nos acriter urget et fatigat
a luce prima crimen expiandum.

Occupat ecce dolor vitae exordia, mox et adla-
parens uteque recreare natum. [borat

Mane salutat avis modulamine gestiente: nostra,
heu, vita prodit occiditque fletu!

HIRPINUS.

Prudentis proprium examinare consilia et non
cito fallaci crudelitate ad falsa prolabi: de du-
biis non diffinias, sed suspensam tene senten-
tiā.

SEN., De virt., 4.

In festo Corporis Christi

O Sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis!
S. AUGUSTINUS, Tr. XXVI in Io.

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quo nos Christus Dominus sacri sui Corporis participes effecit, dicens incipienti, difficilius est exitum quam initium invenire; ita enim in Illo omnes beneficiorum thesauri omnesque sanctitatis fontes atque Ipse sanctitatis Auctor continentur, ut nihil sanctius aut utilius, nihil excellentius aut magis divinum haberi posse videatur.

Quum enim Eucharistia arcum quidam sit, omniumque hominum existimatione et iudicio sublimius, nobis hic nec licet omnia quae sentimus, dicere, nec, si licet, vires ad altissimum mysterium perscrutandum essent satis; tantum enim onus ingenia nostra non sustinent.

Quae enim tanta potest exsistere ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum orationis genus, quo quisquam possit, Iesu Christi in augustissimo Sacramento dilectiones, non dicam complecti orando, sed percensere numerando?

Nihil quidem, mortalibus beatius in hac vita potest contingere, quam ut divino atque ineffabili Christi Corpore refecti, in rerum caelestium deliciis conquiescant.

Nihil magnificentius, nihil praestantius, nihil denique optabilius esse potest, quam se Deo coniungere, atque ita summo illo et perfectissimo bono perfrui. Hoc enim Sacramentum, mentem nostram arctissimo amoris vinculo Deo iungit, ex quo fit, ut anticipatione quadam in terris caelesti gaudio afficiamur et, naturae divinae participes effecti, filii Dei nominemur et simus.

Cuius animum caritatis facibus non incendit tam benigna, et propensa in nos Domini voluntas, qui, tametsi nos in potestate sua et dominatu veluti servos, San-

guine suo redemptos, habet, ea tamen dilectione complectitur ut non servos vocet sed amicos et fratres?

Nihil sane nobis nec excellentius nec salutarius contingere poterat quam hoc inexplicabile caritatis pignus, quod clementissimus ac benignissimus Deus nobis reliquit animae cibus quo alimur, conservamur et augemur.

Incredibile est quanta voluptate ac laetitia nostras perfundat animas hic Panis, maxime quum terrenis molestiis et incommode conflictamur.

Iam vero minime invidendum iis quos iure meritoque beatissimos fuisse existimamus, in quorum tecta mortalis receptus est Jesus, vel qui illius vestis tactu sanitatem recuperarunt, quum multo nos beatiores et feliciores simus, in quorum animam ineffabili quadam caritate ingreditur, eamque amplissimis munibibus ornatam sibi coniungit.

Illud quoque pulcherrimum et periuncundum est christiana fraternitatis specimen; etenim clerum populum, divites pauperes, liberos servos, doctos indoctos, summos infimos, omnes denique unum agit studium, ut convivii caelestis aequae participes, clarissima luce circumfusi, vehementiore cultu ac pietate Deum venerentur.

Sed videamus huius admirabilis Sacramenti fructus atque maximam vim quam in animam infundit, quod quidem bene Christi Martyres sanctissimi demonstrant, qui, hoc divino caelestique pane refecti ac robatori, divino quadam fulgore collucebant, laetique ad crudelissimos hostes et ad exquisita supplicia proficiscebantur.

Nonne videmus eos, nec valetudinis, nec rei familiaris habuisse rationem et omnia esse perppersos, ipso Dei amore captos? Quem divini amoris ardorem consentis fuisse in sanctissimo illo puero Tarsicio, qui, quaecumque apud caecos mortales prima putantur, pro nihilo ducens, ne augustissimum Eucharistiae Sacramentum

violaretur, mortem acerbissimam, in ipso aetatis flore oppetere non dubitavit?

Quid de Ignatio, quid de Caecilia aut Agneta loquar? qui voluptatum illecebras, ac perniciosa saeculi blandimenta, generosa quadam alacritate spreverunt?

Fortunati omnes! Si nihil illustrius, nihil sanctius, nihil martyrio pro Christi fide et doctrina nobilis, caelo receptos heroes atque aeterna beatitudine perfruentes, nulla dies unquam memori Vos eximet aeo!

Finem tandem faciemus, non tamen prius quam pro tanto et tam singulari beneficio maximas Tibi, Iesu, gratias egerimus, Cuius laudes non solum nostris, sed paene omnium gentium litteris atque linguis celebrantur.

Ad Te, sub mirabili Sacramento delitescentem laeti configimus, a Te opem petimus in ea quae latius ubique funditur scelerum colluvione rerumque perturbatione, atque in hoc temporum motu in quo versamur, ut sis reconciliationis praecionum, sisque almae pacis signum perenne!

Bononiae

ANGELUS CARBONI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De consecutione temporum

a) Praesens aut futurum in propositione primaria praeit praesenti aut perfecto coiunctivi in secundaria.

EXEMPLA: Num quae tempestas impendat vates melius coniiciet quam gubernator? (CIC.) — Morati melius erimus, quem didicerimus quae natura desideret (CIC.) — Quamobrem hoc non debueris credere pauca dicam (CIC.) — Galli statuunt ut decem millia hominum in oppidum mittant (CAES.) — Quid legati egerint nondum scimus


Cfr. fasc. sup.

(CIC.) — A quibus ortus sis, non quibus cum vivas, considera (CIC.) — Metuo ne artificium tuum tibi parum prosit (CIC.) — Ille albus aeterne fuerit ignoras (CIC.) — Sed iam video quid loquuntur: neque enim id occulte faciunt (CIC.) — Parvi refert unusne mundus sit an plures (CIC.)

— Vide cui fidas (PHOEDR.) — Quum aperuero quid agatur, facile vobis erit statuere quam sententiam dicatis aut quam sequamini (CIC.) — Interrogas me num in exilium ire te iubeam? (CIC.) — Quoniam quales viros creare vos consules deceat satis dictum est, restat ut pauca de eis in quos favor inclinavit dicam (TIT. LIV.) — Multae gentes nondum sciunt cur luna deficiat, quare obumbretur (SEN.) — Nescimus qui sis (CIC.) — Numerate quot ipsi sitis, quot adversarios habeatis (TIT. LIV.) — Ex quo pecunia in honore esse coepit, non quaeritur quale sit aliquid, sed quanti pretii (SEN.) — Vide quam vile sit corpus iis qui magnam gloriam spectant (TIT. LIV.) — Nescio uter utrum feffellerit (CIC.) — Permagni interest quo tibi tempore epistola redditia sit (CIC.) — Quid deceat vos, non quantum licet vobis spectare debebis (CIC.) — Docebimus ea quae videntur esse utilia neque sunt quam sint virtutis inimica (CIC.).

b) Praeteritum in propositione primaria praeit imperfecto aut plusquamperfecto in secundaria.

EXEMPLA: Lentulus aliquanto post quae sivit a Gallis quamobrem domum suam venisset (CIC.) — Diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet (SEN.) — Solon interrogatus est cur nullum supplicum constituisset in eum qui parentem necasset (CIC.) — Omnes iam patefecerunt quid faciant, quid velint (CIC.) — Nimium diu teximus quid sentiremus (CIC.) — Hannibal imperavit puero ut omnes fore aedificii circumiret ac propere sibi nuntiaret num eodem modo undique obsidere



tur (CORN. NEP.) — Ut primum post di-
scessum Antonii vel potius desperatam
fugam, libere senatus haberi potuit, semper
flagitavi ut *convocaremus* (CIC., Phil., V,
11) — Vercingetorix animo *laborabat* ut
omnes civitates *adiungeret* atque earum
principes donis pollicitationibusque allicie-
bat (CAES., Bel. gal., VII, 31) — Nobili-
tatis pars spe, alii praemio inducti, singu-
los ex senatu ambiendo *nitebantur* ne gra-
vius in Iugurtham *consuleretur* (SALL.,
Iug., 13) — Epaminondas eloquentia *per-
fecit*, quod post apparuit, ut auxilio socio-
rum Lacedaemonii *privarentur* (CORN.
NEP., Epam., 6) — Unum Galli *depreca-
bantur*, ne se armis Caesar *despoliaret*
(CAES., Bel. gal., II, 31).

c) In sententiis consecutivis, ut aiunt, perfectum pro imperfecto usurpatur ad significandum statum adhuc perdurantem ex actione praeterita.

EXEMPLA: Odium paternum erga Romanos sic Hannibal conservavit, ut prius animam quam id *depositeret* (CORN. NEP.) — Dolabella tam fuit immemor humanitatis, ut suam insatiabilem crudelitatem *exerceret* non solum in Trebonio vivo, sed etiam in mortuo (CIC.) — Vitiosa Stilponis natura sic edomita est doctrina, ut nemo unquam illum vinolentum *viderit* (CIC.) — Rex tantum auctoritate Cononis motus est, ut et Tissaphernem hostem *iudicaverit*, et Lacedaemonios bello *persequi iusserit* (CORN. NEP., Con., 4) — Ita detinebar, ut vix huic tantulae epistole tempus *ha-
buerim* (CIC.) — Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus, Paulus tantum in aerarium pecunia invexit, ut unius imperatoris praeda finem *attulerit* tributorum — In Aequis varie bellatum est, adeo ut in incerto *fuerit* vicissent victime essent Romani (TIT. LIV.) — Ciceroni famam gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, Marce Antoni, ut *auxeris* (VEL. PAT.).

J. Iss.

Selecta ex bibliothecis et archivis

Anatomica humani corporis synopsis¹

Etenim in brutis planta pedis brevior, nec ossa cruris tarso, calcaneoque recta in-
sistunt, sive illa sint solidungula, sive bi-
sulca, sive digitis armatos habentia; pae-
terea articulatio ossium cruris cum osse
femoris curvatur, et internum angulum
efficit ad anteriora, hoc est versus inguina,
et abdomen: externum vero in acutum
desinentem, ubi extendi satis non potest,
effingit versus nates. Ad haec accedit,
quod plerumque in brutis os femoris non
unicum ab acetabulo ossis ilii ad genu,
quemadmodum in hominibus, sed in duas
partes divisum invenitur; quamobrem du-
plex illa articulatio brevius spatium, et
maiorem facilitatem ad flexionem affert,
hoc est pronitati multum famulatur; quae
quidem flexura nobis recta incessuris, po-
tius obfusset, nam illam firmitudinem,
continuato femoris osse petendam, pluri-
mum debilitasset. Tandem in illis femoris
caput magis oblique articulo coxae commit-
titur: quapropter bruta commodius prona
progrediuntur; ea enim corporis positio
congruit absque ulla molestia cum nativa
inferorum artuum flexura, quae in di-
rectum sine aliquali dolore locari, diuque
detineri non patitur. Homini contra pedum
plantae longiores ossaque cruris tarso inni-
tuntur ad perpendicularum; calcaneus paulu-
rum retro exporrigitur: crura insuper ad
nates in poplitibus flectuntur, neque in-
trorsum ad inguina recurvari ulla vi, ob-
stante rotula, valent; denique cervix ro-
tundi capitum femoris in sectum magis
inclinat, suoque rotundo vinculo non ad
corporis latus, sed superna intra acetabulum
alligatur: quibus sane fit, ut crura, et
femora facilime in situm perpendiculari
proximum, tam poni, quam servari possint;

¹ Cfr. fasc. sup.

eaque ratione nos, commoditate postulante,
in pedes erigimur, eoque in situ, aequili-
brato utcunque viscerum pondere cum na-
tibus, nec non viribus musculorum pene
omnium (ceu funibus in malo navis aequa-
liter per contensionem libratis) erecto cor-
pore continemur. Ad quod sane opus non
mediocriter in nobis conductit surae crassi-
ties, in brutis desiderata, per quam mu-
sculi gasterocnemii, et solei, robustiores
effecti, fortius impediunt, quominus in
faciem corruamus; adiuvante etiam plan-
tarum pedum versus anteriora longitudine,
atque obiecto rotulae repagulo. Et quidem
non illepidum est quod passim in puerulis
observare contingit, qui, tametsi primum
in plano proreptent, tum manibus, geni-
busque nitantur; ubi demum, firmatis ar-
tibus, saxum aut quid eiusmodi prominens
offenderint, confessim propria vi nulloque
docente in altum levari connituntur, et
postquam pavidi, nutantesque aliquanto in-
cesserint, stabiliuntur, ac sine formidine,
mutato gravitatis centro in articulis, sed
terrae semper inter duas pedum plantas,
insistente ad perpendicularum linea, hilari-
ter cursitant.

Ut vero amplius confirmentur, quae de
naturali hominis statu, incessuque dicta
sunt, observare est quid in ursis simiisque
natura praestiterit. Sunt enim inter cetera
animalia ad se erigendum promptiores.
Utriusque planta pedis oblongior attributa
est: quamobrem, nitentibus simul supra
ampliorem terrae basim fere omnibus tarsi,
metatarsi ac digitorum musculis, in altum
erecti diutius continere se possunt. At in
simia, praeter longitudinem plantae ad faci-
liorem erectionem, incessum, sessionemque,
accedit etiam articulatio genuum hu-
manae non absimilis, per quam nimirum
crura retrorsum flectuntur. Quoniam vero
tam ursis, quam simiisque exilior sura data
fuit, nec non ipsa planta pedis, tametsi cum
digitis accepta appareat longa, sit tamen
pro ceterarum partium magnitudine bre-

vior, quam in homine, in magnitudine vero
plantae, seu metatarsi tota firmitudo con-
tinetur; idcirco Bartholomaeus Eustachius
(quem honoris huius subsellii gratia no-
mino) ex Galeni doctrina advertit, digito-
rum longitudinem, ac discretionem, in
simiis ad firmandum pedem, et corpus in
erecto situ sustinendum parum prodesse:
propterea diu pedibus consistere nequeunt;
sed ut situm quaerant, qui eisdem minime
noceat, ad naturalem pronitatem rever-
tuntur...

(Sequitur peroratio, quam omittimus).

I. M. LANCISI.

ANNALES

Europaeum discrimin

Iugoslavia et Graecia captis, Croatorum
que territorio in libertatem suumque ius
vindicato, horum legatio, duce Ante Pav-
elic, libertatis populi sui adsertor maximus
et vindicta, Romam venit et ab Italorum
rege petuit ut principem e Sabaudica gente
Croatorum regem designaret: Zvonimir,
ait, resumptam coronam Croatiae civi-
tatis summum imperium exprimere pro
fide in Romae religionem, et in memoriam
virtutis magnique animi, quem Eugenius
Sabaudicus quondam in civitatem ipsam
effudit. Victorius Emmanuel huiusmodi sensus
comiter excipiens regem dixit Aimo-
nem nepotem ex patre Sabaudico Augu-
stae Praetoriae Duce, nunc titulo Spole-
tani Ducis insignitum, qui praesens sese
munus suscepturum professus est. Pactio
quoque constituta est eadem die XVIII mens.
Maii de futuris Italiam inter et Croatiam
rationibus; recognitum hinc Italiae addi-
cenda Costuae (*Khostau*), Sussakii, Cabaci
Liburnica territoria, partemque Delnicen-
sis regionis; praeterea S. Marci scopulum

ANNALES

Europaeum discrimen

Res in Balkanica regione recens gestae politicas conversiones amplissime illic effuderunt: Bulgaria enim Macedonicam gentem sua ipsius stirpe fere omnem ortam, Thraciamque occidentalem sibi addxit; Illyriam (*Albania*) Cossavana atque Ciamuriaca provincia aucta est; Mons Niger, sive Czernagora, libertatem suam reciperavit atque in Italiae ambitum transivit; Hungaria fines suos produxit, pariterque Germania, ad laevam usque Savo fluminis; quod Sloveniae reliquum erat in Italorum ditionem cessit, nova Lubianae provincia sub peculiari lege constituta; Croatia in regnum post saecula decem iterum constituta est; Dalmatia denique ad Italos rediit, qui fere totam Graeciam, utpote «vitale sibi spatium» copiis suis occuparunt. Haec Mussolinius, Supremus Italicarum rerum moderator, in oratione habita die x superioris mensis Iunii, sollemniter confirmavit, recoluitque insuper imperatorios exitus e Creta subiecta partos, et rerum statum cum Turcarum republica, quae in pactionibus cum Italia initis a. MCMXXXVIII fideliter perseverat. De Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis, a quibus amplissimas agendi facultates Roosevelt praeses extra ordinem obtinuit ut auxilia Anglis afferret, animadvertisit bellum cum iis nisi de iure, de facto certe iam exstare; aperta igitur belli in «axem» indicatio si intercesserit, eam hodiernum rerum statum minime immutaturam, neque magni discriminis exitum praepedituram, quem omnino sibi victorem habent nationes quae tripartitum foedus constituere, eaeque quae ad ipsum accessere — (quibus hodie et Croaticum regnum addendum est) — etiam si bellum protrahendum sit praeter quod provideri possit, novaeque implicationes sint accessuae.

Atque reapse vel ex hoc accessere. Germani enim quum certiores facti essent, Russorum «Sovieticum» regimen clam arma parare non in ipsos tantum, contra conventa, sed ut universi orbis rerum conversionem ad «Bolscevicorum» rationem moveret, nulla mora interposita, die xxii mens. Iunii fines praetergressi, Russorum territoriorum hostiliter invadunt. Eos statim Romeni, Slovaci et heroici illi Finni ad recentem vim ulciscendam sequuntur, ac deinde Hungari, qui nulla provocante causa a Russis igniferis globulis petitas civitates suas viderunt. Russi cedere ubique coguntur, neque virtutem suam ostendere sciunt nisi caedes et ruinas in inermes cives territorii iam turpiter subacti inferendo.

Churchill, Anglorum administratorum primus, et Roosevelt, Civitatum Foederatarum Septemtrionalis Americae praeses, Russis omnis generis auxilia se pro posse daturos profitemur. Huccine saeculum!...

Si denique ultra Europam oculos convertemus, in Africa videmus ad Tobruk adhuc pugnari, et Italos hostibus numero et armis longe superioribus acerrime loca sua contendere; Irac industias inire, Syriam per Palaestinae, Libani ac Transiordanie fines ab Anglis invasam; Islandiam denique quum a Dania tutrice iam defendi nequirit, rei publicae suae propriam moderationem sese instituturam declarare.

Funera

In oppidi Doorn suburbano, quo amissio Germanico imperio se receperat, octuagenario maior, die iv mens. Iunii diem obiit supremum Guilelmus II, ex Hohenzollern regia domo.


POPLICOLA.


IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





VARIA

De exterarum gentium invasionibus¹

Alterum cum Gallis eiusdem generis habuere Romani post primum bellum Punicum, in eoque ducenta millia Gallorum inter Pisas et Plombinum commisso praefilio interfuerunt. Tertium intulerunt Germani ex Cimbria Chersoneso, qui Italianam ingressi populi Romani exercitus saepe fuderunt, sed a Mario tandem victi delelique fuere. Quo loco observare licet antiquam populi Romani virtutem, quae tria haec tam periculosa bella confecit et hostes delevit. At postquam antiqua illa virtus abolita fuisset, non potuere eiusmodi gentibus, quae Italianam invaserat, resistere. Nam quum Vandali et Gothi advenissent, universum Occidentis Imperium occuparunt, nec quisquam eis resistere potuit. Causae autem quae huiusmodi gentes excitare solent, ut, relictis sedibus suis, alienas invadant, partim a fame, partim a bello pendent, quibus in patria oppressi discedere coguntur, ut novas sedes quaerant. Quod si igitur ingenti hominum numero suscipiant huiusmodi expeditiones, alienas regiones invadunt magno cum impetu, incolas priores expellunt et interficiunt, opes illorum diripiunt, novum regnum condunt, regioni quam occuparunt nomen novum imponunt, quemadmodum iam olim a Moyse et postea ab iis populis factum novimus, qui Romanum imperium destruxerunt. Neque enim aliunde sunt novae illae Italcarum regionum appellations, quam ab iis populis inditae, a quibus illa oppressa ac devastata est, veluti hodierna die est Longobardia, quae olim Gallia Cisalpina vocabatur; Francia a Francis qui illam occuparunt, quae prius Gallia Transalpina dicebatur; Schlavonia, quae Illyria prius appellabatur; Hungaria, quae

prius erat Pannonia; Anglia, quae fuit olim Britannia; et Moyses Iudeam appellavit illam Syriæ partem, quam cum populo Israelis occupavit; et multae aliae eodem modo, ut hae, novis subinde nominibus insignitae fuerunt, quas recensere omnes nimis laboriosum foret.

(Ad proximum numerum).

Locosa

TUCCUS in schola.

— Qui titulus tribuitur surripienti aliquid ab aliquo?

TUCCUS tacet.

— Intende, Tucci: si manum meam in pérām tuam immiserim decemque libellas extraxerim, quo nomine me vocaveris?

— Praestigiatorem!

TUCCIO amicus:

— Quot annos numerat frater tuus natu minor?

— Quinque.

— Quot autem numerabat anno superiore?

— Quattuor, hercle!

— Ergo novem, non quinque annos numerat.

TUCCUS: — Ac tu quot numeras crura?

— Bina, equidem.

— Superiore autem anno?...

— Bina item.

— Atqui bis bina sunt quattuor: ergo quadrupes es.

Aenigmata

I

Arcus versicolor radio super ardua caeli.
Litterulam varias? Sum dea Niliaca.

II

Vox eadem maneo. Mox sum fluvialis ales;
mox amnis magnus, qui secat Hesperiam.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore Iunii mensis fasciculo proposita his respondent: 1) *Mitra, Mithra*; 2) *Odium, Otium*.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI. — Cfr. fasc. sup.*

Ann. XXVIII

Romae, mense Julio MCMXLI

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS, qui liberaliter nobis reddiderunt ALMAE ROMAE fasciculos a nobis malo fato recens amissos, amplissimas gratias et habemus et referimus. Non tamen lacunae omnes explatae adhuc sunt: desiderantur enim fasciculi mens. Ianuarii MCMXXX (ann. XVII), mens. Iulii MCMXXXIII (ann. XX) et mens. Ianuarii MCMXL (ann. XXVII). Efflagitamos itaque eos qui forte habeant neque orbari nimis graventur, eosque maxime quorum scripta in iis fasciculis edita sunt, nos autem nonnullis exemplaribus donavimus, ut morem gerere nobis comiter velint.

Ab illis autem qui annuae subnotationis premium nondum solverunt postulamus, ne ulteriore moram intermitte sinant; neque id ab Italis tantum, sed ab exteris quoque, ad quos ALMA ROMA mittere etiam nunc datur; qui aere hoc alieno liberare se possunt sive recto tramite per publicum cursum, ut Helvetii, sive per syngrapham apud nummariam aliquam mensam cui permutationis nummorum Romae fit potestas, sive, ut Germani atque Dani nonnulli socii fecerunt, per «Institutum compensationum cum exteris gentibus», sive demum per Collegium aliquod aut religiosam Congregationem (sunt autem Romae nationum orbis universi) cui solvendi mandatum a socio committatur. Ad huiusmodi sollicitationes nos cogunt rerum discrimina in quibus versamur, quae maxima incommoda a nobis repetunt ut in itinere persistamus: numne vici-sim qui laboris socii nobis sese obversati sunt incommodum aliquod sustinere in hisce rerum adjunctis recusaverint?

Denique socios atque lectores omnes monitos volumus proximos Augusti et Septembris mensis fasciculos, ut iam diu assuevimus, in unum prodituros, qui circa dimidium eiusdem Septembris mensis edetur.

A. R.

HISTORICAE NOTAE¹

De novis magistratibus supremis: Praetores, Quaestores, Consules

Processus ordinarius ita factus fuisse fertur: accusabatur reus coram magistratibus ipsis: *vocabatur in ius*. Magistratus poterat etiam accusationem reiicere; si acceptabat, accusatus coram eodem se sistebat die statuta. Disceptabatur accusatio, causa *in iure esse dicebatur*; rationes hinc accusator, inde vero accusatus suas quisque afferebat: quum hic confitetur, *causa acta est*, confessus enim pro iudicato habetur; item si de flagrante aut de crimine notorio agebatur. Hac sententia definiebatur lis in causa: hac sententia primus litis gradus *in iure*.

Si reus *provocabat ad populum*, aut si magistratus incertus adhuc esset, causa in secundo gradu disceptabatur, id est *in iudicio*, ubi decertatio quaedam fit inter magistratum accusatorem et accusatum: populus assistit, audit, nihil disserit; tandem a magistratu sollemniter interrogatur, ex. gr.: «Velitis (iubeatis) Quirites, ut Titius aqua et igni interdicatur?»; populus affirmat aut negat; magistratus tunc damnat aut absolvit. Merito igitur disputatum est utrum haec quaestionum divisio in duo tempora deminutionem constituerit, necne; constituisse tenent qui existimant eam fuisse veram propriamque appellationem; non constituisse reor tum quia populus nullam sententiam edicit: magistratus damnat, absolvit; tum praesertim quia, licet provocatio vetustissimum institutum fuerit, non exstitisse censeo iam initio Reipublicae. Et sane pluries traditio loquitur de instituta provocatione opera semper Valerii cuiusdam infra ann. DIX-CDXXXIX; Livius autem testatur legibus Porciis circa an. CCC et Sempronii (an. CXXII) primum consul-

tum fuisse incolumenti civium; lege Valeria si qui provocavisset nihilominus virgis caesus fuisset, decretum fuisse id esse improbe factum. Maiorem severitatem habitam a provocatione fuisse initio Reipublicae quam postea quis crediderit? Itaque initio aut nulla fuit provocatio, aut nil aliud fuit nisi contestatio suae innocentiae a reo facta coram civibus qui iudicio aderant. Quidquid est, non dixerim iam tum provocatio deminutum fuisse consulum imperium. Attamen provocatio non conceditur in castris et ultra mille ab Urbe passus; hinc distinguitur *imperium domi et imperium militiae*; illius fasces sine securi; huius cum securi signa sunt.

Quod ad ius civile attinet, proculdubio id initio tuetur vis privata; deinde potestas patrisfamilias et patris gentis; demum vero sacerdotes tuentur, praesertim pontifices, non qua iudices, sed qua arbitri voluntarie a partibus electi et interpretes voluntatis deorum ac depositarii morum Maiorum. Iurisdictio, prout est participatio quaedam imperii, nunquam pontificibus commissa fuit, sed aut penes reges aut penes praetores binos initio exstitit. Quum tamen etiam privatorum lites societatis ordinem graviter perturbarent, ideo rex primum, deinde praetores definitiones litium privatorum ad se advocabant vi imperii, vi verae propriaeque iurisdictionis.

Nec deminutum imperium dixerim eo quod *Quaestores nominarentur*, ut de quaestoribus creandis ait Ulpianus;² quaestores enim fortasse et sub regibus fuere, regis auxiliares; nunc fiunt praetorum auxiliares, adiutores. Nullimode constat praetores ad eligendos quaestores teneri; eligi iam tum a populo existimat Iulius Graianus, sed politici praeiudiciis deceptus; ideoque iam ab Ulpiano opinio haec improbatur;³ Tacitus vero⁴ innuit quaestores libere, nullo

populi suffragio eligi a consulibus. Primum quaestorum munus nomine ipso designatur; «etenim a genera quaerendi quaestores dictos et Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt» ait Ulpianus;⁵ in re autem criminali non solum quaestores, sed etiam *duoviri perduellionis* praetores adiuvant. Tertium munus, aerarii administrandi, sunt qui putent quaestoribus derivatum a priore; quod enim aes ex mulctis et publicationibus bonorum quibus criminales puniebantur veniebat, id a quaestoribus exigebatur in aerario publico custodiendum: ita quaestores veluti «custodes nati» exstitere publici aerarii, etiam quum et praedae bellicae et redditus agri publici aliaque id genus accessere. Praeterea quaestor initio quidquid ei a praetore committitur praestare debet: eius provincia eadem igitur est ac sui praetoris, sui consulis:⁶ sequitur consulem veluti umbra corpus, ei omnino adhaeret; et licet haec coniunctio relaxetur postea in quaestura urbana quoad consules, arctissima tamen semper servata est vigintique inter quaestorem militarem et ducem, inter quaestorem provinciae et proconsulem: hi nomine eius a quo pendent designantur; cuius imperii omnium rerum et consiliorum tandem sunt participes et ipsius nominis; ex. gr. «Quaestor Cn. Pompeii».

Per quaesturam igitur praetorum imperium deminutum non fuit; id nonnisi serius factum est, quum quaestura munus quoddam a consulibus non dependens exstitit.

Qua ratione primis temporibus *Consules creati* fuerint non satis constat; sollempne tamen semper Quiritibus illud fuit, ut magistratus magistratum crearet: itaque existimo primos consules creatos fuisse ab interrege, vel a patribus gentis, vel a rege sacrorum, qui nunquam defuit; postea a consulibus successores consules creati

sunt; initio neque re hoc consules rogare comitia tenebantur. Circa medium consulatus annum — antiquitus post aestiva castra — novi consules pro insequenti anno creabantur, renuntiabantur, qui antequam munus obirent, consules *designati* appellabantur, atque iam quaedam exercere poterant quae ad munus suscipiendum referrentur: haec vero iuridicam vim minime sortiebantur nisi, munere reapse suscepto, gerere magistratum consul cooperit. Si alter consul moriatur aut munere sese abdicet, alius substituitur, qui dicitur *suffectus*, quique tantum temporis in officio manet, quantum antecessor mansisset. Quodsi uterque consul deficiat, nullo designato consule «auspicia redeunt ad patres», creatur *interrex*, qui praestat id quod consules non praestitere, novosque magistratus creat.

Initio consules designati publicari coepit sunt populo comitiis coadunato. Novi consules eadem die qua magistratum gerere incipiunt «auspicantur»; tum convocant comitia curiata, rogantque formula quadam sollemnem ut fide populus sese obstringat; haec *lex curiata de imperio dicta* est, qua populus non confert magistratibus imperium (id enim habet creatione ipsa), sed protestatur oboedientiam: magistratus imperium valide exercent etiam ante legem de imperio latam; haec opportuna, non necessaria fuit exordiis reipublicae; deinde vero, auctis populi iuribus, necessaria exstitit post populares rerum mutationes. «Consuli, — Cicero inquit⁷ — si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet»; itaque serius factum est ut ipsi Tribuni plebis legi curiatae de imperio intercessionem opposuerint; quod plerique improbabant, quia lex curiata minime esset necessaria.⁸

S. ROMANI.

¹ Cfr. fasc. sup. mensis Maii.

² *Dig.* I, 13, 1.

³ *Ibid.*

⁴ *Ann.* XI, 22.

⁵ *Dig.* I, 13, 1.

⁶ Cfr. Cic. *In Verr.* II, 1, § 34.

⁷ *De leg. Agr.* II, 12, 30.

⁸ Cic. *Ad Att.* I, 9, 25.

CYLLARUS, SONIPES VICTOR

Ad IOSEPHUM MORABITUM
praeclarum Latinae poësis cultorem.

Quem Batavi rursus renuerunt cingere lauro,
nec mihi iam valuit cura labore vigil,
ad precor accipias dono, Morabite, mannum,
ut pedibus parcas, cum tua rura petas.
Cyllarus o! primos meruit qui victor honores,
post habitis palmis, nunc sibi prata cupit.

Prata tener persultat equus fluviosque minantes
contemnit. Postquam carpsit spirabile lumen,
quarta novis aetas onerarat messibus arva.
Praegrandes oculos devolvens, orbe nigranti,
dum sol resplendet, virides circumspicit agros.
Ad parvum sonitum vibratas erigit aures;
impatiens cursu ventos temptare volucres,
emicit et crebros hinnitus edit in auras.
Luxuriat pectus; crines pulcherrima cervix
excipit effusos. Generoso sanguine cretus,
extollit frontem gressusque inflectit in arcum.
At mens, si mens est, mannos quae dirigat acres,
fervida pingit ei currus plaususque sonantes;
pingit Olympiacos ludos, certamina pingit
praecipitesque fugas, victricis gaudia palmae.
Tum magis urgentur avidis praecordia flammis.

* * *

Circus adest pompa celeber cuneique replentur
in numero populo. Fluitant vexilla per auras,
auro quae referunt contextum nomen equorum.
Effulgent equites, varios de more colores
induti, torquentque manu quassabile flagrum.
En Pyrois, campo sese qui nobilis infert
pluraque suscepit phaleratus praemia victor.
Aspice: magnificis sublatis honoribus, arcto
stare loco nescit; perstringit lora magister.
Pegasus en velox, Libycis qui venit ab oris,
cui ludunt per colla iubae luduntque per armos.
En melior, nuper redimitus fronde decora,
Bellerophon victor, puro de semine natus,
ardet belligero venientes pectore pugnas.
Qui portat bicolor maculas frontemque superbam,
sternax est Aethon; en mordens frena reluctat.
Cum rapit in praeceps dominum, sinuatus aderrat;
tum sonat ictus ager, tum nimbi pulveris undant;
Cyllarus, Eleis nondum consuetus arenis,
ultimus ingreditur, signato limite sistit.

* * *

O tu, quem reflui generavit Tibridis unda,
Cyllare, cui domitor succedit somnia Pollux
(aurea tum fulsit roseis Aurora capillis)
o sonipes, promptiam nostro de pectore vocem
audi, namque potes humanam audire loquelas.
Tu nunc, collectos exspirans naribus ignes,
aërios ardes scopulos superare volatu;
flumina, tu sepes, altos transmittere pontes;
fossas, tu riguos saltus, munimina, vallos.
O, magnos animos vastos qui pectore versas,
omnia tu solus pernix obstacula vinces!
Eleas palmas, amplios habiturus honores,
tu rex ludorum dominusque vocabere solus.
Te nunc dulcis amor laudis depascit. Origo
est divina tibi, splendor tibi sanguinis atque
par homini mens, quae sensus exsuscitat acres.

* * *

« Ante alios dignus sit forsitan plausibus iste,
cui vix arrisit quartum ver? Pullus adhuc est». « At, fateor, pecoris generosi pullus. Arenas
corripit impatiens. En vires spiritus ingens
concepit ingentes». « Non ausim dicere tantum». « Quid ni? Facta docent. Num possunt facta ne?
Nos opus Icarium subiti derisimus olim. [gari? En hodie liquidi caeli temptantur; apertum
velivolis iter est, qui pandunt aethere pennas;
navibus aeris, stabili quae lege reguntur». Haec, dum circus adest, vario sermone seruntur.
At quid cursuros mannos mea verba retardant?
Vox appellat equos: hi clara voce notantur.
Ecce locum capiunt; iussus componitur ordo.
Praemia succidunt oculos mentemque requiri.
[runt.

* * *

Haud mora: signato delapsi limine, vastum
acepere tuba spatium, exsiluere volantes
aequa quadrupedes. Quatitur certamine circus
certatum. Pulvis glomeratus surgit in auras
erigiturque globus, volvens caligine densa
aeripedumque vias agitatorumque labores.
Fervida spes stimulat concusso pectora thyrso,
spem successus alit. Domini calcaribus urgent
cornipedes; pronique citis dant lora magistri.
Frena relaxantur; diffusis ignibus ardent
nares; alipedes celeres vox nota fatigat.
Hunc patriae favor, hunc inflamat nobile nomen
antiqui stabuli; cunctos arrecta cupido

laudum. Tum fremitu campi longoque resultant
plausu convales. Audito primus abibat
Bellerophon signo, qui mannos praeterit omnes;
emicat exsiliens; credas Cyllenide planta
aetherio nexo cursu talaribus ire.
Hunc prope, iam multis palmis oneratus et ostro,
subsequitur Pyrois; instat non segnior Aethon,
a quo iam minimo, iam Pegasus intervallo
dividitur. Spatio post longo Cyllarus ecce
provehitur, quemquam nec post sua terga relinquit.
[quit.

Increpitans ductor compellat voce morantem:
« Quae mihi segnities nunc est? Postremus eris
Non ergo viridi velati fronde per urbem [tu? ibimus? Optato nec nos potiemur honore;
ast alii?» Sonipes arrestis auribus altum
hinnitum fundit celebrisque cupidine palmae
accelerat gressus. En quartum, Pegason ecce,
praeterit. Ingenti resonant spectacula plausu.
Aethona iam summis annixus viribus urget,
impellens celeres ventos. Ad colla voluntis
manni potentus, correpto crine, magister
concitat ardente. Validos nunc appetit ille
conatus, pedibusque premit certaque subire
dexter et extremam metae contingere finem;
pungentes adhibet torto cum verbere voces:
« Cyllare, nunc illum, madidis quem naribus ad-

[flas,

exsuperat. Consurge, vola, perlabere campum.
Quo diversus abis? Strictos huc dirige gressus;
huc, lateri dextra». Audvit Cyllarus atque
Aethona transgreditur. Subitus ferit aethera clavis
[mor

responsantque sono saltus collesque supini.
At nunc Bellerophon, lentis qui fertur habenis,
anxius instantum flatus nunc sentit anhelos.
En Pyrois, sequitur en Bellerophonta priore;
iamque propinquat ei, valide praecurrere certat.
Cyllarus at, magno duplicans conamine vires,
insequitur Pyroenta, caput protendit acutum,
calcem calcem terit. Quatiens vix signat arenas
ungula, quae leviter figit vestigia campo.
En alacer Pyrois subito succenditur aestu
immensumque rapit spatium certaque praeire.
Spes trepidans aequat cursus, audacter utrumque

advocat ad metam, stimulante cupidine laudis.
Cyllarus et Pyrois coniunctis frontibus ecce
aequa transmittunt pariter vastumque theauna
concordes veluti si mente trahantur. [trum,

Ambigitur: « Quis victor erit metamque tenebit?
Bellerophon? Audax Pyrois an Cyllarus? O
[quis?] Corda pavor pulsat: certamen cernitur acre,
subtrahitur campus; fit creber anhelitus, albis
spumis ora fluunt, artus sudore rigantur.

Vox sonat admonitrix: « Animos nunc, Cyllare,
[prome. I, i! Nunc revoca robur magnumque vigorem.
Hic laus summa tibi, decus hic; hic gloria, no-

Iacturam patiar? tanto fraudemur honore?
Accidat id nunquam? Stimulat sic ore magister
discentem. Rapido praetervolat aequora cursu
Cyllarus ac tranans spatium perlabilis amplum.
Iam caput imponit dorso flatusque vapore
terga premit spumisque humeros humectat euntis
Bellerophontis. Adhuc tempus discriminis anceps.
At Pyrois laevo praestringit tramite metam;
en furit et sperat fieri se posse priorem.
Infelix! saxo pes est collisus acuto:
succiduus titubat poples corpusque recumbit.
Concidit in fulvas dominus deiectus arenas.
Confremit et caelum et percussus vocibus omnis
spectantum circus. Fertur sublime per auras
Cyllarus, attollens cervicem victor ovantem.
Continuo lituum sonitus clangorque tubarum
editur; ingentes ascendunt aethera plausus.
Tunc omnes cupiunt laudatum cernere mannum;
tum cupiunt vincere caput, tum flore coronant.
It quassans crines, manat de corpore sudor;
it miscens altis hinnitibus plausibus altos;
auribus hausta sui domini laus occupat illum:
« Cyllare, te semper victrix fortuna sequatur!
Gloria te maneat; clarum te fama per aevum!»

* * *

Cyllarus, eximiis ornatus laudibus, ibat
per medios victor victos frontemque ferebat
conspicuam. Effusas lenis per colla, per armos
ventilat aura iubas; tum mollia crura superbus
inflectens gressus, magno clamore triumphat.
Par donum crater rigidus caelatus acantho.
Strenuus at Pyrois, palmae qui primus equorum
praemia cepisset, ni sors inimica fuisset,
turpiter incedens, generosi munera cordis
haud sernenda tulit. Tulit hic virtute secundus
fulgens artis opus rarae, duo pocula; nec non
gentili contexta manu villosa recepit

tegmina, quae misero multum placuere magistro. Tertia palma tenet, qui signo primus abivit, Bellerophonta, dato. Tripodas geminosque lebene non vasa tulit solidio conflata metallo, itas, quae super impositae renitent ex arte figurae artificisque manus scenas effinxit amoenas. Pegasus atque Aethon qui, Bellerophonta se-

[quentes, frontibus aequafis, metu tetigere peractam, ramos accipiunt virides pulchrasque coronas, nam iudex moestum renuit dimittere quemquam. Tum vulgus miratur equos laudatque decoros; et memorem claro spargentes carmine famam, ad maiora iubent vates intendere mannos praecipiantque novos versu celebrare triumphos.

VINCENTIUS POLYDORI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

Participium eleganter disiunctum a verbo.

Participium non invenuste separatur a verbo auxiliari «sum».

EXEMPLA: Sus vero quid habet praeter escam? Cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale *datam* dicit esse Chrysippus (CIC.) — Tanta *sum* cupiditate *in census* ad redditum, ut mihi nulli neque venti neque remi satisfacerent (CIC.) — *Inventi* multi sunt, qui vitam profundere pro patria parati essent, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellet (CIC.) — Demosthenes oratorum est princeps *iudicatus* (CIC.) — *Caesa* ad vi-

ginti millia hominum sunt (TIT. LIV.) — Clodius Roma subito ipse *profectus* pridie est (CIC.) — Perbene *detecta* in Leontinis est avaritia et crudelitas Romanorum (TIT. LIV.) — Longius certamen fuisse, ni vulnere ducis concessa Victoria esset (TIT. LIV.) — Tanta *sum* cupiditate *incensus* ad redditum, ut mihi nulli neque venti neque

¹ Cfr. fasc. sup.

remi satisfacerent (CIC.) — Milites, ut erat a Caesare *praeceptum*, a tribunis legatisque retinebantur (CAES.) — Iste opera lectica *latus* per oppidum est ut emortuus (CIC.) — Caritate te et benevolentia civium *saeptum* oportet esse, non armis (CIC.).

De numeralibus distributivis

Numeralia distributiva significant idem pariter in plura divisum.

EXEMPLA: *Quadrigena* et *sexagen* talenta quotannis Delum sunt collata (CORN. NEP.) — Ut Romae consules, sic Carthagine quotannis annui *bini* reges creabantur (CORN. NEP.) — Ranas corripere coepit *singulas* (PHOEDR.) — Annos nonnulli *vicos* in disciplina permanent (CAES.) — Adspice bis *senos* laetantes agmine cycnos (VERG.) — Cleopatra sponsione provocavit insumere se posse in unam cenam sestertium centies *centena* millia (MACROB.) — Tot lecti proceres ter *denis* navibus ibant subsidio Troiae et campos salis aere secabant (VERG.) — Populo hortos circa Tiberim et viritim *trecenos* sestertios Caesar legavit (SUET.) — Insectorum quaedam *binas* gerunt pennas, ut muscae; quaedam *quaternas*, ut apes (P.) — Aestus maris bis inter duos exortus lunae affluunt bisque remeant, *vicens* *quaternisque* semper horis (P.) — Sidus appellatum Veneris signiferi ambitum peragit trecentis et *duodequinquagenis* diebus (P.) — Bis *quinos* silet ille dies (VERG.) — Vercingetorix illos auribus desectis, aut *singulis* effossis oculis, domum remittit (CAES.) — Data est praeda militibus aeris *octogeni* *bini* asses sagaue et tunicae (TIT. LIV.).

De verbis quibus inest notio superlativi.

Verbis quibus notio superlativi inest praeponi possunt «*multo*, *longe*, *facile*, *unus*», etc.

EXEMPLA: Zeuxis *longe* ceteris *excelere* pictoribus existimabatur (CIC.) —

Alces capras magnitudine paulo antecedunt (CAES.) — Hominis natura quanto omnes anteit animantes! (CIC.) — Nimio *praestat* impendiosum esse, quam ingratum dici (PLAUT.) — Virtutem omnibus rebus *multo* *praestat* beneficii quam maleficii immemorem esse (SALL., Cat., 36) — Aristides et Themistocles obtrectarunt inter se; in his autem cognitum est quanto antestaret eloquentia innocentiae (CORN. NEP., Arist., 1) — Ex Macedonum genere, duo *multo* ceteros *antecesserunt* rerum gestarum gloria: Philippus, Amyntae filius, et Alexander Magnus (CORN. NEP., Reg., 2) — Hoc uno *praestamus* vel *maxime* feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere dicendo sensa possumus (CIC., De or., I, 8) — Aedes duae *longe* ceteris *ante cellulunt* (CIC., Verr. II, 4, 53) — *Longe* Academiae illi tuum hoc suburbanum gymnasium *anteponam* (CIC., Or., I, 21) — Eruditissimos Asiaticos quivis Atheniensis indoctus *facile vincit* (CIC., Or., III, 11) — Virtutem omnibus rebus *multo* *anteponamus* (CIC., Fin., 4) — Demosthenes *unus eminet* inter omnes in omni genere dicendi (CIC., Or., 29).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

MATHIAS CASIMIRUS SARBIĘWSKI*

Postero anno festo circiter Pentecostali ad sacerdotis dignitatem promotus est; tamen theologiae inservire non destitit, quo factum est, ut studiorum praefectus collegii Germanici fieret. Sed subsicivis temporibus arti poeticae vacavit et tantum in ea profecit, ut animos virorum doctorum in se converteret eorumque gratiam atque amicitiam sibi conciliaret. In his viris fuit Franciscus Barberini cardinalis, nepos Ur-

* Cfr. fasc. sup.

bani VIII pontificis; mox etiam aditum habuit ad pontificem ipsum, a quo magnis cumulabatur beneficiis. Nam in tantam Urbani familiaritatem ascendit, ut saepius eadem raeda cum illo in plateis urbis circumveheretur et, id quod praeter eum contigit nemini, lauro poetica coronaretur. Cum idem pontifex ad breviarium Romanum emendandum accederet, poetam ad opus advocavit, qui una cum tribus ex eodem ordine sociis hoc negotium feliciter expedit. Communi opera triginta hymnos penitus transformaverunt, aliquot novos pepigerunt, amplius nongenta menda correrunt.


Sed autumno anni 1625 Sarbievius desiderio patriae correptus Roma discessit. Urbanus poetae supremum vale dicenti et apostolicam benedictionem petenti nummum, aureum cum sua effigie collo circumdecerat. Iter per Hungariam ac montes Carpathicos faciens in Poloniam rediit; eximio gaudio solum paternum ingressus fluvium natalem, quem Sonam vocat, ita cecinit:

AD FONTEM SONAM

Fons innocentii lucidus magis vitro,
Puraque purior nive,
Pagi voluptas, una nympharum sitis,
Ocelli natalis soli,
Longis viarum languidus laboribus,
Et mole curarum gravis
Tuscis ab usque gentibus redux, tibi
Accline prosterno latus.
Permitte siccus, qua potes, premi; cava
Permitte libari manu.
Sic te quietum nulla perturbet pecus,
Ramusve lapsus arbore.

In patriam reversus mox novis auctus est honoribus; ex anno 1627 in academia Vilnensi artem dicendi, philosophiam, theologiamque docuit et intra hoc tempus, die 23 Septembris 1629, quattuor vota solemnia suscepit. Sed anno 1635 rex Vla-

dislaus IV, ad cuius aures gloria poetae



pervenerat, eum Varsaviam ad aulam vocavit, ut munus contionatoris ac theologi regii praestaret. Summo autem studio variis negotiis, quae ibi erant expedienda, se dedidit. Perpetuo fere regem in itineribus prosecutus est; ne tum quidem, cum ille venatum ibat, domi mansit, sed in silvestri tugurio interdum ventis imbrisque pervio tendens orationes elaboravit aut carmina composit. Tum illud carmen ortum habuisse videtur, quod sequendum curabimus:

AD CICADAM

O quae, populea summa sedens coma,
Caeli roriferis ebria lacrimis,
Et te voce, cicada,
Et mutum recreas nemus.
Post longas hiemes, dum nimium brevis
Aestas se levibus praecipitat rotis,
Festinos, age, lento
Soles excipe iurgio.
Ut se quaeque dies attulit optima,
Sic se quaeque rapit; nulla fuit satis
Umquam longa voluptas;
Longus saepius est dolor.

Neque vero mirum est, si poëta, qui vivit solitariam otiumque semper maluit, tumultum vitae aulicae magis magisque graviter tulit, praesertim cum nimiis laboribus districtus esset et aegrotare coepisset. Itaque muneris molesti vacationem a rege petere non destitit; tandem ille quamquam invitus precibus induxit. Sed vix laeto animo iter in Masoviam, provinciam domesticam, ingressus erat, cum revocatus est, quia unus ex proceribus aulae regiae contionatorem clarissimum audire cupiebat. Obsequenti animo Sarbievius huic quoque officio satisfecit supremum se diem obire necopinans. Nam de suggestu descendente animus reliquit acribusque capitis doloribus temptari coepit. Frustra erat medicorum ars; ictu sanguinis concussus secundo die Aprilis 1640 in actu mortuus est.

Nostra aetate memoria illius viri nulla re magis redintegrari potuit quam insigni

monumento, quod patres societatis Iesu sodali praestantissimo posuerunt, editionem eius operum dicimus, quae omnium longe amplissima et diligentissima est.⁴ Habet enim non modo carmina epodosque, sed etiam ducenta sexaginta quinque epigrammata, ex quibus duo saltem testimonia proferemus:

MATER NERONIS AD NERONEM

Quo gladium vibras? Utero mammis minaris?
Ah, reprimat caecus barbara tela furor!
Lactabam mammis, utero te, nate, ferebam;
Dignus erit venia forsan uterque locus.
Erramus. Qui te miseras male fudit in auras,
Dignus uterque mori; Caesar utrumque feri.

DE LEONE PONTIFICE

Attila Pannonicis populatur caedibus Alpes;
Obvia magnanimus tendit in arma Leo.
Adversa gemini concurrunt fronte Leones,
Inde Leo Dacus, Tuscus et inde Leo.
Conscius ille sui fera repulit arma furoris,
Nempe tua monitus, maxime, voce, Leo.
O quem te memorem? Quo regem nomine dicitur
Ille Leo raptor, tu Leo pastor eras. [cam?

Sed gloria Sarbieviana utique in carminibus lyricis posita est, quorum argumenta sunt varia. Grato animo amicorum fautorumque meminit; laudes dicit ducum militarium patriae suae aut commoda pacis celebrat; virtus carpit et laudat virtutem; pulchritudinem praedicat naturae; de cordia populorum deque communi defensione Turcarum periculi monet; rarius mentionem de se ipse facit; sed pleraque carmina refulgent eius animum summae religionis plenum.

Fama eius prima carminum editione, quam amici poëta inscrite anno 1625 Coloniae fecerant, ubique gentium percreberat. Non modo in patria, ubi Stanislaus Lubienius, episcopus Plocensis (1627-1640), se amicum fidelissimum praebuit, quocum frequens habebat litterarum com-

SARBIÉWSKI, *Poëmata omnia*. Staraviesiae, 1892.

mercium, sed etiam peregre permulti viri docti amicitiam eius petiverunt. Nam aequales eum ingeniosissimum vatem latinum ac splendidissimum Horatianae poësis aemulatorem intellexerunt. Hugo Grotius eum non solum aequavisse, sed etiam interdum superavisse Flaccum dixit.⁵ In Britannia etiam accedit, ut carmina Sarbievii ad scholarum usum adhiberentur, quod iuventutem plus ex eis utilitatem capere posse, quam ex operibus Romanorum poëtae opinio erat.

Posteritas autem eum admirari perrexit. Lebrechtus Langbein hoc de eo iudicium tulit: «Sarbievius sine controversia est poëta, quo nemo alias in cogitationibus sublimior, argutior nobiliorque in sententiis, in comparationibus audacior simulque felicior, in inventione ingeniosior, in ordine aptior, in oratione elegantior fuit».⁶ Ad extremum praetermittenda non est sententia Alexandri Brückner his verbis expressa: «Sarbievius, qui peregre paene clarius fiebat quam domi, maximus poëta novilatinus Polonorum fuit; magna elatio animi, forma eximia dicendi, visque imaginandi sane non inops monachi carmina fundentis fuit propria».⁷

HANS LIS.

⁵ LOUIS AUBERY, *Mémoires pour servir à l'histoire de Hollande*. Parisii, 1711, pag. 331.

⁶ *Commentatio de Sarbievii vita, studiis, scriptis*. Dresdae, 1754, pag. 131.

⁷ A. BRÜCKNER, *Geschichte der polnischen Literatur*. Leipzig, 1901, pag. 176 et 177.

COLLOQUIA LATINA

Occursatio¹

GEORGIUS — LIVINUS

GEORGIUS - Ex qua tandem corte aut cavea (e quibus septis, e quibus claustris) nobis ades? Quomodo te habes?

LIVINUS - Contemplare vultum.

¹ EX ERASMO recognovit, depromisit hodiernaeque vitae aptavit I. F.

GEORG. - An me putas medicum? At non rogo quid valeas, nam facies ipsa loqui te belle valere; sed quomodo tibi placeas.

LIV. - Corpus quidem belle habet, sed animo male est.

GEORG. - At non valet, qui isthac parte laborat.

LIV. - Sic res habent meae: corpus valet, sed aegrotat crumena.

GEORG. - Facile isti morbo medebitur mater. Ut valuisti usque?

LIV. - Varie, ut sunt res mortalium.

GEORG. - Satin' semper recte valuisti? (Salvane res semper fuit? — Satin' semper salvae res fuerunt?).

LIV. - Fere prospera quidem (bona - fausta - incolumi - secunda- integra), gratia Superis, valetudine sum usus.

GEORG. - Nunc autem?

LIV. - Prosperrima; bellissime valeo.

GEORG. - Laetus isthuc audio (Voluptatem mihi nuntias — Est isthuc mihi auditu perquam iucundum — Sermonem istum ex te audire supra modum gaudeo — Isthuc haud invitatus audio — Oppido laetor isthuc audire ex te — Tibi gratulator, mihi gaudeo); utque ad istum modum quam diutissime valeas, opto (Faxint Superi, ut isthuc tibi sit perpetuum ac proprium — Ut idem semper facias, opto).

LIV. - Tu vero quo pacto vales?

GEORG. - Evidem optime valeo, si tu vales.

LIV. - Nihil tibi molestiae fuit? Nihil est?

GEORG. - Nihil, nisi quod tua consuetudine frui non licuit.

LIV. - Tecum igitur de omnibus paeclare agitur.

GEORG. - De omnibus ut volo potius, quam ut mereor: recte, pulchre, belle; imo per pulchre, per belle (commodissime - minime male), basilice, pancratice, athleticæ.

LIV. - Exspectabam ut lices etiam taurice...

tantur. Quae quidem consilia ita publice enunciata sunt :

I - Duae (Nordicae Americae et Angliae) nationes nullam territorii aut alius naturae prolationem persequuntur.

II - Nullam videre cupiunt finium imputationem, quae cum desideriis libere expressis a populis quorum intersit non congruat.

III - Ius cuiusvis populi colunt regimini formam diligendi qua quisque vivere velit, cupiuntque videre suprema iura atque libertatem iis restituta, a quibus per vim adempta fuere.

IV - Debita observantia praestita promissis ac receptis existentibus, promovere conabuntur pro singulis nationibus, magnis parvisque, victis vitoribusque, conditions pares accedendi ad materias primas, quae dicuntur, quibus orbis ad prosperitatem suam indiget.

V - Amplissimam collaborationem promovere intendunt inter nationes omnes in rebus oeconomicis, ut omnibus meliora ac tutiora reddantur operis rationes, oeconomici progressus et cautions sociales.

VI - Post extremam tyrannidis nazistae excisionem, sperant constitui posse pacem, quae nationibus singulis sinat modos habere tranquille intra fines suos vivendi, detque hominibus, ubicumque vivunt, fidem, ut vitam suam acturi sint, timoribus minisque vacuam.

VII - Huiusmodi pax singulis hominibus permettit ut maria sine obstaculis remorisque discurrant.

VIII - Putant denique universi orbis nationes, ex rationibus tum naturae tum spiritus, pervenire debere ad vis usus renuntiationem. Quum autem nulla pax futura ali possit si arma tum terrae, tum maris, tum aeris ultra adhibita sint a nationibus, quae minitentur aut minitare possint incursus praeter fines suos, iudicant has nationes armis esse spoliandas, usque dum saltem amplior eaque permanens ratio posita

fuerit, qua communis omnium securitas firmetur.

Heu! super hisce fundamentis proximae pacis aedes aedificari profecto non poterit!

Interim Germani cum Finnicis ad septentriones, cum Hungaris in centro, cum Rumenis, quibus recens et Itali additi sunt, meridiem versus, Russicas provincias victores invadunt, Sovieticosque exercitus ubique fundunt, fugant, captivos faciunt, tormentisque innumeris omnis generis potiuntur.

In reliquis, ubi fuit bellum, partibus nihil actum peculiari memoria dignum.

Funera

Die VII huius mensis Augusti, Pisis, dum novae aerionavis experimentum agit, immaturam mortem obit Bruno Mussolini, Supremi Itallicarum rerum Moderatoris tertio loco genitus. Cum animi permotione, qua homines omnes humanitate praediti infausto nuntio perculti sunt, in mentibus divina fide illuminatis pius ille sensus Christianae necessitudinis coniungitur, quo non solum infandi doloris participatio, sed precum et immortalis spei fit coagmentum. Igitur cum Supremo animarum Pastore, Pio PP. XII, litationibus apud Deum animam et nos prosequimur eius, qui in Dei fide brevem diem suam consumavit.

Idibus Augustis MCMXLI.

POPLICOLA.

In primis provideamus, ne sermo indicet vitium aliquod inesse moribus; quod tunc maxime solet evenire, quem studiose de absentibus, detrahendi causa, aut severe, aut maledice, aut contumeliose dicitur.

CICERO, *De off.*

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


ALMA ROMA



Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



VARIA

De exterarum gentium invasionibus¹

Ceterum eorum populorum, qui bello e suis sedibus pulsi, alienas regiones invadere coguntur et eorum incolas rursus expellere, exemplum esse possunt Maurusii, Syriae populi; nam quum hi de Hebraeorum adventu certiores facti fuissent, nec existimarent se eorum viribus resistere posse, satius esse putarunt, relicta regione, se suasque res mobiles, quantas secum auferre possent conservare, quam omnia periculo committere. Itaque, relicta patria, in Africam transierunt, et pulsis quibusdam populis, sedes suas illic posuerunt. Nec caret admiratione eos, qui patriam defendere non possent, alienas regiones potuisse expugnare. Procopius in historia belli contra Vandalos a Belisario in Africa gesti, scribit se in columnis quibusdam legisse, iis locis quibus Maurusii isti considerant, haec verba: « Nos Maurusii, qui fugimus a facie Iesu Latronis filii Nave »; videlicet ut appareret causa eorum ex patria discessus. Quum igitur extrema necessitate pulsi cogantur huiusmodi populi sedes relinquere, horrendus est illorum adventus, nec nisi ab excellenti virtute sustinentur, si magnis viribus veniant. Sin exiguis sit illorum numerus, non tantam vim inferre possunt; itaque arte quadam tunc solent locum quempiam occupare, et contracto cum vicinis foedere, illum conservare, ut fecisse legimus Aeneam, Didonem, Massilienses et alios, qui vicinorum auxilio et amicitia ea, quae occupassent, loca conservarunt. Qui populi autem e suis sedibus maximo hominum numero egressi sunt, fuere Syri, deserta frigidaque eius regionis

loca incolentes; qui quum aucti essent numero tantopere, ut victimum non haberent, coacti sunt saepe loca mutare. Quod si intra quingentos annos non audivimus aliquem populum hoc modo migrasse, id factum est et quod illae regiones unde descendere solerent vehementer sint evacuatae tunc, quando illorum adventu oppressum fuit Romanum imperium; deinde quia excultae sunt nunc illae Germaniae et Angliae regiones, ex quibus olim migrare solebant, ita ut commode illic habitari queat, nec opus sit illinc migrare.

Iocosa

TUCCIU dum in sinu gaudet grammophonum audiens:

— Mirabilis quidem machina — inquit —; tubam habet quae fidiculis canit!

Pater Tuccio:

— Ecquid? Tibi carnem custoditam in theca emendam commisi, ac tu testudinem vivam affers?

TUCCIU: — An testudo caro in theca custodita non est?

Aenigmata

I

Alte consurgo tecti futura superbi.

Consona mutatur? Sum pia, imitis avis.

II

Produc vocalem! Sum diva volubilis anni.

Corripe! Sum coniunx, sancte Quirine, tua.

FR. PALATA.

Aenigmata in fasciculo superioris mens. Iulii proposita his respondent: 1) Iris, Isis; 2) Anas. — In primo eorum aenigmatum versu legendum erat: *versicolor*, non *versocolor*.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI. — Cfr. fasc. sup.*

Ann. XXVIII

Romae, mense Augusto et Septembri MCMXLI

Fasc. VIII-IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

DE LATINIS MUSIS EXCOLENDIS SERMO

Carmen in certamine Hoeufftiano magna laude ornatum

Cum mihi mos fuerit priscas coluisse Camoe-

[nas

sitque prior mihi nullus amor, me rodere cer-

[tant.

Hic leviter ridens demissas fundit in aures:

« Grator, quod tot iam scripsisti carmina quod-

[que

aptum te ostendis latios componere versus.

Sed quis iis, inquam, nunc delectatur? amicus unus et alter eos non lectos frigidus ore extollit. Cuncta abicito, ne tempora frustra longa teras. Musis contemptis sedulus aude querere de antiquis aliquid scriptoribus, ampla praemia laturus. Ne longum tempus, alumnos parva docens teneros, sumas durosque labores incassum. Quid? Nonne vides ut saepe, libellos vix quis composit res hinc furatus et inde, proiectos doceat qui magna in urbe creetur discipulos?... » Peream ni res erat optima; ve-

[rum

quisque suis humeris quid possit ferre, sodales, cernat et his pondus sapiens accommodet. Alta percipiunt ali atque habeant nomenque decus-

[que;

ad sua regna, patris quae nata est vertice, Pallas me nunquam studiis armisque decora vocavit, carpere nec iussit pennis sublimius auras. Parva iuvant, casto curat qui pectore musas, et satis esse putat sibi si fortuna benigna mundum concessit victimum, per florea rura blandos dum liceat decerpere, carmina, flores.

[tem».

Auribus haec quadam tactus pietate susurrat atque animus crebris iamiam labat ictibus... [Inde,

ut dubius sese relevat viresque resumit, haec alius tacito sensim muttire videtur:

« Dulcis adeat eademque fugit tam grata Iu- [venta!

Cur longo totas studio nimiumque severo

noctes atque dies, dum aetas viget optima dum-
[que
vires sufficiunt, pergis consumere? Ne te
vatibus amentem facias pedibusque latinis.
Ut quondam Flaccus monuit sapientior, ipse
carpe diem, neu te allicant certamina, iudex
ad quae more vocat te Hollandicus ille quotan-

[nis.

Quid tibi venturum, si, mille laboribus actis,
tempora te lauro victoria cinxerit alma,
reris? crede, volant anni albescenque capilli.
Libris concessum satis est, ni fallor, et hora
qua abicias venit, curas et callidus addas
pelliculae. Rident campi; per rura tepentes
iucundo zephyri passim cum murmure ludunt
spectandaeque vias specie vultuque pererrant
incenduntque animos, praedulcis flamma, puel-

[iae;
tuque teris latiis pedibus tua tempora? Qui te
invitat iudex, versus colat ille, per annum
insudet totum, cui nunquam lumina forsitan
praebuerit Phoebus, nebulis sed semper opacis
cingatur...» Lassus tot verbis urgeor atque
est ubi suadenti videar me tradere victimum
dilectasque diu priscas contemnere musas.
« Nonne hi recta iubent? — tacitus mecum ipse

[volutu —;
non bene suadebant veterum haec tam trita iu-

[bendo
mittere? quid prodest tantum insudasse libellis
Castalidasque olim vigilem curasse latinas?
Iam medium aufugit vitae tibi iamque capillus
e nigra albescens audet se ostendere silva;
non mens heu celeri motu volat incita, blandae
nec species fulgent, iucundae somnia vitae,
ante oculos; turbant me aerumnae saepe tenaces
ac spes me fallit, totiens quae me ante fefel-

[lit...»
— Num te infelicem (vox haec ignota profatur
ex imo obiurgans) dubitas modo credere? Cre-

[das!...
Insanum sed adhuc vacuas captare cupido
te impellit nebulas... Deceptus inania sperne:
rumpe moras; tempus fugit irreparabile; ventis
committas alii tu parvam navita cymbam! —
Ast animus tandem stringentia rumpere vincla
me iubet atque foveat tenuis fiducia pectus...

Est ita: nullius poterunt me verba monentis
id facere ut, spretis quae a primo tempore tanto
excolui studio tantoque impulsus amore,
longe alias flam, extemplo mutatus ab illo

qui fueram, et placeat tristi dare vela retrorsum.
Iamdudum signata via est, qua sponte sua pes
currat. Nil agitis iactando haec verba, Catones!
Qui vestris valeam monitis intendere mentem?
Idem semper ero; cursus iterare relictos
haud quisquam me sperabit: prius arma rebel-

[lem

abicer Europam saevosque abrumptere mores
atque frui tandem divina pace videbis;
ingluvie ante novos vicinia tota leones
prospiciet posita haud timidis diducere rictum
agnis quam minimum hoc vitium me ponere

[cernas,

respuere atque animo, solacia parva, Camoenas.
Qui nunc conscribant prisci sermonis et artis
allecti studio, ac latio modulamine, si quid
exagit pectus, certent concludere, paucos
invenias sane; misere sed inania verba
semper conantur tanquam permittere surdis.

Machina quaeque, ingens quam vis movet atque

[fragore
cuncta implet resono, et facies taeterrima belli
Castalidas priscas pellunt. Quis diligit illas?
Nunquid mercator qui terras ac mare currit
nec sibi parcit, avens ut multis ampla crumina
exundet nummis? Bellator nunquid acerbus,
visere qui clades et fusa cadavera passim
gestit et horrendos tormenti audire boatus?

Num puer ignarus, Veneri qui servit et almo,
unde voluptates tangunt mortalia, Nato?
Unguiculis longis mavult labrisque puella
cincinnisque suis omnes impendere curas,
tum quoque fabellas oculis lustrare procaces
mente ubi res fictae fuse narrantur amantum,
carmina quam amplecti romanis condita verbis.
Callidior sibi qui prae cunctis esse videtur
longe urbi praefert operam navare regendae,
undique et egregios semper sibi poscit honores.

Quid de sermonis romani artisque magistris
dicam? Si hunc illum prudens exceperis, eheu,
quam paucos tu repperias qui carmina nostrae
dignentur legere aetatis nostrosque poetas

laudibus extollant, immo aqua pendere lance
versus sufficient latios doceantve rogati
si quid scribenti mendosi irrepserit atque
admoneant ubi pes vitiosus claudicet et num
offendat quid munditiem decus atque latinum.

Vah! tetrici querent quot Caesar stratus humi

[sit
vulneribus, tum Tyrtaeus qua miserit ille
vagitus regione infans, utrumque Acherontis

aequora barbatos habeant sub gurgite pisces
an rapidae limi muraenae turbida verrant.

Temporis oderunt huius spernuntque poetas,
ut si quisque suum consumat inaniter aevum
longis claudendo brevibusque sequentibus intus
commorint quaecunque animum spectacula re-

[rum.

Nulla via at potior, valeas ut carmina et ipse
perlegere, accentus certe rationibus usus,
quam si verba diu versu concludere discas
ut leviter tanquam suavi cum murmur rivus
currat odoriferis per prata ornata corollis.

Qui vero gaudent chartis illudere versusque
italico fundunt usi sermone, latinas
contemnunt idem pueri iuvenesque Camoenas,
utpote qui ignorant malintque operire tenebris
quidquid conscribant, latia quam inducere luce
cuncta decora. Legis quae nostra aetate poetae
carmina componunt? Manibus tu carpere lu-

[nam,
crede mihi, valeas potius quam carminis imas
res aperire. Vides positos nullo ordine versus
nec te delectat modulaminis ulla venustas;
quin quandoque audire videris murmuris ictus
horisoni fractos seu monstrum inducit ahenum
aera per liquidum fugiens seu bellica vates
tormentique sonos raucos effingere certat.

Ista quidem sanus non sanae mentis et aequae
esse putes; dicas lymphatum scribere nec quid
forsitan ipse velit dudum pensasse severum.
Hinc fugient latiae permotae horrore Camoenae.
Abicio haec prorsus veluti stomachatus in annos

usque magis; me clara iuvant, me dulcia tan-

[tum,
quae niteant solis tanquam exornata colore,
non singultantes clauso ceu gutture voces.

« Non is ades — fortasse inquis — qui tempora

[mente
quidnam nostra velint capias penitusque recon-

[das;
tempore nil currit velocius; apta prius quae
fas censere fuit, contempta haec reicit aetas
et nova iure petit. Delectabat genus olim
versus scribendi certis numerisque modisque
conclusos; mentis vim nunc atque abdita rerum
et quae hominum sensus excultos tenvia tan-

[gunt,
num potes haec solitis pedibus perscribere et

[arte?
Ipse cave nostrum, censendo talia, quandam
sanis delatus videaris priscus in aevum,

omnibus et moveas, factus mox fabula, ri-
[sum...»

Temporis antiqui sim sane filius, huius
ignorem saecli quae docti panditis omnes
quaecque movent hominum mentes subtilia, risus
et flam... Ridere iuvat; sed mi quoque risu
ilia quassantur — stomacho ni dicere mavis —
cum nonnulla huius perquirro carmina saecli,
quae ignara ignoris extollit fama per urbes,
et magis atque magis complector pectore musas
antiquas, pelagi ut vexatus naufragus undis
gestit naviculae fractae captare tigillum.

His nixo levius, mihi si fortuna maligna
quid tulerit, flet; solus plerumque, repertum
si quid habent gentes, si quae discordia ad arma
saeva vocat caecos populos, ego mente rependo
et iuvat in nitidis, ubi quid me inflamat et

[urget,
non aliis, mihi met, foliis concludere. Namque

[est
unum hoc unde mihi puerorum parva magistro
gaudia proveniant: misero quid denique restat,

si impius abstuleris latias, mea gaudia, musas?
Quoniam perfugiam? cui credam pectoris iras?

Me quoque enim, vacuum quem reris saepe

[malignus,
angunt, quam credas, maiora negotia. Visne

prodam aliquid? Puerorum — utrum mihi nu-

[men amicum
an bili fervens facere id me iusserit olim,
quanquam suadenti me Epidaurius ore vocaret,

praetereo ignarus — doctoris munere fungor.
Graeca latina odio ferme sectantur acerbo

omnes: hinc Didus gemebundae funera, longos
ataque tuos, pater Aenea, terraque marique

errores adamant ut fumum lippus, ut Anglus
Teutonicus semper turmas horrenda paratas

bella ciere. Valent auditu noscere rhedas
quea sint et quales; gaudent longo ordine ad

[unum
omnes ferre gradum et manibus tormenta mo-

[vere
in gyrum saevo ut crepitū missilia spargant.

Haec potiora quidem, quae sunt pia tempora,

[censem:
graeca iacent, flocco latius fit sermo minoris.

Ast, ubi cum calidis decreta pericla diebus

instant, heu, quantae aerumnae, fastidia quanta
nos hinc inde premunt! Turris munimina dicas

evertenda, ruant dum qualibet arte... Domi non
tutus ades; tepido fruiturus vespre in urbe

si graderis captans puras pulmonibus auras,
est qui te observet; cautus properabit in aures
nonnihil dicturus facie pudibundus. « Avebam
— incipiet trepidus — iamdudum dicere pauca.
Ni gravior modo sim, cum nunc fortuna tibi me
obtulerit, dicam... Tu, qua es bonitate, roganti
ignoscas, quae. Iam scis: meus ille puerus
non bene calleat eas, quas tradit, docte magister,
linguas: tu parcas, oro, puerilibus annis.
Incumbet studio posthac vi nixus utrique,
vix mala sors nobis cessabit fulgura et iras...
Omnia nunc nequeo tulimus quae horrenda fa-

[teri
anno hoc: quot morbi! male rem quam gessi-
mus! Eheu,
illi parcendum puer, si forte vacarit
non bene (qui potuit?) tot pensis totque libellis:
non fuit illi oti, credas, tantumque quietis
quantum ut proficeret studiis fuit usque necesse.
Est autem timidus, proiecta aetate... Repulsus
si fuerit, nimis, heu, multabatur ille, sed ipse,
ipse pater peius multabor, numina crassam
cui nunquam dederint nummis, infanda, cru-

[minam.
Ignoscas: flamas etiam cum Syrius ardens
incendet, studiis maiore intendere nisu
illum, ut quae debet valeat callere, iubebo».
Ficto sic loquitur sermone: probabitur atque
sic asinus poterit gradibus procedere certis?
Ne fore confidas vacet ut quandoque libellis!...
At non his tantum cauti incautique magistri
decipimur verbis. Precibus matricula supplex
hinc urget, patruus precibus premit inde: licet

[num
illatam tibi vim prudenti fallere? Quaevis
hic audire potes, flectant quae verba leaenam.
« Hic puer — infandum: quis credit? — triste

[laborat
pulmone atque opus est in summis montibus

[auras
quam primum captet, libris studiisque remo-

[tus] —

« Muneribus Martis perstringitur ille: probatus

ni fuerit, poterit qui, tot post tempora, gracieis

sedulus et rursus latis incumbere libris?

Illum ne perdas, precor obtestorque, magi-

[ster!] —

Quisque haec conqueritur. Quodsi mala sors tibi

[alumnum

collegae obtulerit natum, cui docta negarit

Pallas et ingenium mentemque quibuslibet ap-
[tam,
quo mage turpis eum linguarum inscritia vexat,
te miserum expectant graviora negotia. Abire
haud poteris tutus. Quid enim? Tu munia
[rumpes,
quae licuit semper iure incorrupta tueri?
Dulcia amicitiae rigidus tu vincula spernes?
Orabit lacrimans ne tanto vulnere pectus
patris perrumpas: sociorum vincula sacra!...
Quot verba auriculas fessas feriuntque pre-

[muntque!
Fleteris his motus? laudaris, at illico fies
fabula. Quid? negitas te in ius committere

[quicquam?
Non hominem dicent: tibi sancti corda nega-

[bunt
esse patris similemque ferae te quisque vocabit
inincidente tibi convicia saeva. Mihi non
durior hoc mensis, nec quo iecur ardeat igni
torridiore. Cibis venter stomachatus abhorret,
nec vana interdum vexatus imagine ocellos
claudere nocte quo quin dira insomnia totum
continuo exagitent... Spissa sed noctis in umbra,
ad me vix redeo post tot certamina, pressis
nonnunquam invenior mecum volutare labellis:
« At cur te vexes? est quo te conterat angor?
Vis asinina ruit, cui totis viribus obstes
frustra, ut si cupias undoso obsistere ponto.
Omnia mitte tibi non respondentia; inanem
ne insumas operam: res tu mutare modosque
num reputes? Cavesis: ne te vaga somnia lu-

[dant...
E summis praeceps labetur montibus amnis
auctus aquis; tantam num vim cohibere vale-

[bis?
Quin agis ut quandam perhibent egisse? Satis

[rem
perfectam nosti; iucunda est fabula. Quondam
presbyter in Tuscis sanctus fuit atque facetus,
Christicolas pagi divina ad pabula iussus
ducere. Quos monitos (moechos conspexerat

[illos
saepe, malos, tum raptiores, tum, denique, quid-

[quid
fingere mente potes) totiens frustraque ubi vidit
semper criminibus totas effundere habenas,

inter sacra Dei, lepidus sic incipit: « Ohe:

iam mihi, filioli, properat mors: ampla manet

[me
valles, concurrunt quo vitae munere functi,

praemia vel poenas habituri. Iustus ab alto
descendet Iudex; aderit stipata corona.

Ad verba Illius progressus quisque volabit:
ipse metu in mediis, si fallam forte, latebo.

Tum subito: « Antoni! » Iudex clamabit, et

[omnis
voce repercussus magna locus ille sonabit.
Nil dicam latitans. Eadem vox fortior inde
clamabit. Magis hic me condam. Rursus at Ille
« Antoni! » ira ardens clamabit, et omnia circum
nomine complebit. Medio tunc agmine lentus
reptabo ante Illum. Fixus scrutabitur ac mox:

« Antoni, quid oves? quid oves, tibi tradere

[quondam
quas volui? Sapiens duxisti ad pabula caeli? »

Nil respondebo. « Loquere! » is minitabitur.

[Ipse
tunc vultum attollens, quid sim dicturus, amici,
vobis scire placet? — Pater (inquam), Christe

[Redemptor,
impendi curas potui quas sedulus omnes,
sed, tibi quas placuit scabie mihi tradere foedas,
has tibi pastor oves scabiosas trado. Teneto». —

Omnia mitte igitur: quid perfuris atque laboras?

Quin potius, sanctas, quondam tua gaudia, mu-

[sas
complectens, illis, macerat quod pectus et angit,
permittis sapiens? Ut habes praedulce leva-

[men! »
Sic deus in noctis tenebris quandoque videtur
auriculis loquier, totusque incendor amicis,
dulcia praebuerunt quae olim solatia, musis.

Cetera quid restat? non urbes visere fas est,
gloria quas celebrat, devecto praepete rheda
quae vi tacta furat, currat rapidoque volatu.
Non in declivi ridet mihi villula colle,
qua canis aestivos liceat tolerare calores
stratus ad egelido currentem murmurare rivum.
Haec alii liceant. Si ponti ducere ad oras
possum filiolos, ut salsis corpora lymphis
firment et ludant iucunda luce beati,
est satis atque super. Cum largos Iuppiter im-

[bres
cooperit in terras obscuro fundere caelo,
in ludum ad pueros et munia nota revertor.
Interdum paucas, vacuo si quid datur oti,
mente agito, placet et nonnunquam promere

[nugas.
Est ubi me videoas calamo currente, quod urget
vi quadam interius, longis brevibusque studen-

[tem

tradere, quod verbum deceat reperire Camoe-
[nas,

atque adiectivum conantem apponere verbo
inque illis totum, si quid minus incidat aptum,
saepe caput scabere et mordere cruenta labella.
« Hic quo Vergilius verbo utitur? — ore voluto
intento, revocans delapsum pectore versum —;
Quid Flaccus? Nonne exul idem monstrat mihi

[Naso? »

Dum in mentem revoco fugientia, tota abit hora.
Sed mea nil refert fugiant si tempora, namque
est illic quo delecter vel per breve felix,
huius ut aetatis teneat me oblio magna

quaeque mala immineant fato impendente ma-

[ligno

gentibus Europae — referens horresco — quot-

[annis.

Sic vivo: priscae musae recreatus amore,
carmina, queis gaudet nostra aetas, temno, la-

[tinis

tantum contentus. Curnam per trita labore?

Gloriolam captem cur sanus mente, popelli
dulcibus indulgens vitiis, quaeque improbo scri-

[bens?

Ligna feram silvis? Deserta per ardua curram
Parnassi, quondam laturus praemia laudis
haud vulgi indocti: doctorum quaero virorum,
et Batavi laudem. Quaesita negaverit? Acer
non mihi dero: novis instabo viribus; arma
impavidus miles rursus post vulnera sumam.
Fulget spes etenim me quandocumque beatum
limen tacturum. Numquid diffindere censes
hinc te posse, Cato? Tecum blaterare iubebo,
ilia rumpantur blateranti dum tibi. Verum
ne insanire vetes, haec si est insania. Num cui
hinc mala provenient? Sana vos mente, Catō-

[nes,

vivite; felices servet fortuna benigna!
Praemia magna habeat tetigit qui Cyllarus imam
metam, qui pedibus gaudent impellere follem
inflatum plausu fremituque sonante coronae,
qui caestu nares tundunt tumidumque labellum,

carmina qui invisus musis vulgaria pangunt.

Isti magna habeant sibi praemia: me iuvat
ut Batavus laudet iudex... « At forte labores
post tot, post tantos, si optata negaverit ille,
quid sapiens facies? » Decretum est, Carmina

[scribam

dum discedentem me musa reliquerit, una
hac re contentus. Valeant, qui optantur honores

allicitantque alios popularia munia. Posthac, annos post aliquot vix cana infecerit aetas, et rude me ludus donatum miserit, armis ut fessus miles post pugnas postque labores, denuo rura petam. Puerilia tempora degi in campis: eadem excipient me rura parumper. Haud ignarus olus modicum caulesque phase-

[losque ipse seram; citris dulces impendere curas, ni me deficiant vires, quandoque iuvabit, ut rursum aspiciam, veris spirantibus auris, ramis candidulos teneris albescere flores queis grato exalat silvestris semita odore. Hic tua, tranquillo vergit dum lumine Vesper, perlegere intentis oculis, Pontane, placebit carmina, vel patriis verbis verbis latinis quae olim Pascolius dulci dictante Camoena panxit. Tum tremulis mariana rosaria sensim dinumerans digitis fundam pia vota precesque, dum mihi fixa seni properet Mors, ultima rerum linea... Certa via est; fatum omnibus imminet [altum, fatalesque nefas cuiquam devertere gressus.

Ios. MORABITO.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De loco possessivi

Adiectivum possessivum substantivo suo libenter postponitur; praeponitur autem quum eluceat oportet.

EXEMPLA: Initio belli, Demetrius duos filios apud Gnidium, hospitem suum, cum magni auri pondere commendaverat, ut belli periculis eximerentur (IUST., 35, 2) — Alexander interemit Clitem, familiarem suum (CIC., Tusc. IV, 37) — Dionysius, inter initia regni, avunculos fratrum suorum veluti aemulos imperii sui, tollere gestiebat (IUST., 21, 1) — Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse (CIC., Att., I, 3) — Hominem certum misi de comitibus meis (CIC., Att., VIII, 1) — Ego tuam causam apertius quam mea tempora

ferebant (CIC., Fam., VI, 12) — Etiam capillus unus habet umbram suam (PUB. SYR.) — Cinna collegae sui praecidi caput iussit (CIC.) — Habet suum venenum blanda oratio (PUB. SYR.) — Bis interimitur qui suis armis perit (PUB. SYR.) — Labienus milites cohortatus est, ut suae pristinae virtutis retinerent memoriam (CAES.) — Cave ne virtus tua sit duobus damnosa (OVID., Met., X, 707) — Nihil in penatibus suis venale aut ambitioni pervium (TAC., An., XIV, 4) — Nihil est tam cognatum mentibus nostris quam numeri atque voces (CIC., De Or., III, 195).


De numero verbi cum nominativis diversae personae.

Si idem verbum instruitur pluribus nominativis diversae personae, personam accipit vicinioris, quum oppositio eluceat oportet; nobiliorem personam sequitur et numero plurali effertur, ad exprimendam communem actionem.

EXEMPLA: Ex eo die ego et leo in eodem specu viximus — Haec si neque ego neque tu fecimus, non sivit egestas nos facere (TER., Adelph., I, 2) — Quod si id egissemus, ego atque tu, quod ne in mentem quidem nobis veniebat propter quotidanos metus, omne tempus una fuissemus (CIC., Fam., V, 15) — Bene meruimus et ego et pater de vobis (PLAUT., Amph., Prol.) — Mi frater, uno meo facto et tu et omnes mei corruistis (CIC., Ad Quint., I, 4) — Quot sunt? Totidem quot ego et tu sumus (PLAUT., Rud., II, 7) — Cras apud me eritis et tu et ille, cum liberis vestris (PLAUT., Stich., IV, 1) — Aderamus nos et multi amplissimi viri (CIC.) — Tu et collegae tui errasti — Ego et Cicero valemus, si tu et Tullia valetis (CIC.) — Ego te, et tu me feres — Et ego et Cicero meus flagitabit (CIC.) — Debemur morti nos nostraque — Ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur (TAC.).

J. Iss.

¹ Cfr. fasc. sup.



PIUS VI PONTIFEX MAXIMUS

Quartus ante calendas Septembres dies, obitu Pii Sexti Pontificis Maximi quotannis memorabilis iis, qui humanitatem prorsus animo non deposuerint; quem quidem virum insolens et impatiens mendacii semper laudabilem describet historia sive in doctrinis versaretur omnibus, sive in rebus publicis administrandis, honoribusque gerendis, sive in iis, quae ad religionem tueruntur, vel quae ad felicitatem populorum eius in potestate degentium pertinerent. Eius vitae cursus quasi cursus quidam perennis gloriae, et continens triumphus fuit; nam egregius inter aequales habitus est sapientia, ingenio, consilio, munificus atque magnanimus inter principes regesque omnes, qui fuere tunc temporis, fortissimus denique inter martyres, qui, constantia mira, virtute animi summa, nec cessit prava iubentibus, nec morem arma minantibus gessit, nec vim inferentibus ipsis, in senectute ultima relicturus inter labores et aerumnas animam, non dignitatem.

Vir autem erat imperatoria forma, statura procerus, incessu gravis, elegans verbo, comis, humanus, quem nec honores maximi efferrent, neque frangerent extrema infortunia. Nobili natus Braschiorum genere ex urbe Caesena talis ingenio fuit, ut vix decem ac septem annos natus doctor in utroque iure sit renunciatus. Quae autem semel didicerat ita memoria tenebat, ut, quinquaginta post annis, magnum numerum optimorum versuum ex Horatio et Vergilio pronuntiaret ex tempore quasi nuper legisset, itemque ex insignioribus Tullii ac Demosthenis orationibus.

Unigenitus domi erat, atque integra paterna domus genusque inclinata in eo recumbebant. Posthabitis tamen et illecebris mundi, et consanguineorum suasionibus, totum se Deo creditit, sacraeque sacerdo-

tum militiae nomen dedit, ac Ferrarium urbem ingressus est, ibique mansit apud avunculum Ioannem Carolum Bandi iurisperitum, qui tunc erat ex audientia penes cardinalem Ruffo, Ferrariae legatum.

Postremus hic mira contineri in aurea Ioannis Angeli, adolescentis adhuc, indole prospexit, sibique a secretis voluit adesse; saepissime vel in apice movendo usus Ioannis consilio, semper, si quid acturus esset, alloquio.

Romam anno 1740 primum ingressus est, Ruffum adeuntem Conclavis arcana sequutus, ex quo Benedictus XIV Pontifex fuit. Ruffo ad Veliternum et Ostiensem episcopatum evecto, Braschi auditor a negotiis episcopalibus adfuit, quae omnia tredecim per annos ita obivit, ut nemo usquam.

Gravissimis, Benedicto mittente, rebus Neapoli compositis, Romam reversus pone Benedictum functus est amanuensis officio, mox ad ecclesiasticos honores assumptus. Sacerdos factus in magistratu supremo esse coepit, quem *Signaturae iustitiae* vocant, apud Rezzonicum, qui postea et Pontifex, auditor in civilibus causis iudicandis; mox pontificio aerario praefuit; denique xv mensis Februarii die, anno 1775, summus Pontifex renunciatus est.

Tunc in aperto fuerunt quae obducta purpura vix coruscabant, regemque polliebantur maximum magnificentia, quem nuper inclytum sapientia Sublacensis populus, eius ditioni creditus tamquam cardinali abbati commendatario, uno ore laudabat. Quos beneficentissimus episcopus moribus, religione, sanctitate auxerat, mox, factus, amplissimis complexus est beneficiis, et cathedrali, athenaeo, viis, aquis, opificiis, industriis omnimodis ditavit, urbemque laetissimam adspectu constituit, omnibus, qui pulcherrima quaerant, peregrinis non adeundam modo, sed expetendam.

G. P.

(Ad proximum numerum).

AESTIVAE PEREGRINATIONES

Sublacum

Siquis per Tiburtinam viam, olim Valem, Roma demigraverit, et potitus Tibure in Anienem fluvium venientem, quasi fontes fluminis invisurus, processerit, Vicovarium, et Mandelam praetergressus, in meridiem tendens valli, cui medius Anio placidissimus, angustae aderit. Qui montes a dextris euntis sunt, modo Saraceni, modo Rosei, modo Carduelini vocantur; qui a sinistris Simbrivii, Simbruini. Quasi paucentes agnorum greges hinc inde vici, quorum hi radices, hi medium, hi summum tenent. Habes in Carduelinis Anticolum Corradi, Saracinescum, Maranum, Arcem Medium, Arcem Cantarani. Habes in Simbriviis Cerbariam excelsam, Augustam pone fontem caeruleum; perge ultra, et quantum est apparebit Sublacum accline colli, cui urbis arx superba imponitur, lateque dominatur, dum ima urbis Anio multa murmurans lambit, haud aliter ac si quereatur de laboribus improbis, quibus adstringitur, iubente urbe cui despontatus est; sibi enim illic molae agendae sunt frumentariae, chartariae officinae, tum machinae vel telis texendis idoneae, vel ferro cudento, vel coloribus terendis, vel olivis frangendis, vel oleo exprimendo, sexcentaque alia subeunda sunt onera et opera, quae haud certe sponso, sed servo, captivoque potius digna videntur. Quae omnia peragit quidem

Rex camporum Anio, laetis ditissimus arvis; at nec sponte facere, nec impune ad ea impelli tum spumeum agmen aquarum frendentium inter angusta et magno cum murmure indignantium, tum diluvia frequentia, alluvione magna superantia ripas et Sublaccenses agros late inundantia, testantur.

At amantium ira amoris redintegratio est; nam brevi uxorius amnis furores de-

ponit, placidusque evectus machinis agros rorat aestuante sole et frumentis ariditate languentibus. Ea tamen urbis huius conditio est, ea regionis universae temperies, ut opportuna sit et omni Flora, et omni Celeri, et omni Pomona ab olivis ad quercus et ilices, ab amygdalis ad pyra et mala et uvas egregias, unde vinum fluit, quod toto Orbe nomine *Cesanense* celebratur, nec famam potiore iure vinum aliud adeptum est.

At, postquam ultra urbem, in Anienem semper, perrexeris, mirabilia regionis emicant; quippe ad orientem praeruptae, asperimiae Simbruinae rupes, ad solis occasum mugiens in profunda quasi fovea Anio, collesque oleis, vitibusque decori. Videsne? Hic primus lacus unde nomen loco, et, quod vides exiguum eminere templum super abrupta, «Sancti Laurentii ad aquas altas» nuncupabatur. Perge. Novum ecce hiat barathrum, cuius in imo spumas agit inter saxa fremens strepensque fluvius. Facile accipies alterius laci formam, nam vides quibus ab angustiis in primum «ad aquas altas» lacum fluat. At nunc te admiratio percellat; sumus enim pone aediculam quae a S. Mauro appellatur. Pons saxeus hic, ubi duo montes quasi immani conatu divisi sunt ad perpendicularm in profunditatem horribilem, terret oculos, terret animum si deorsum respexeris, et ideo hinc inde magis quam par esset editi muri. Fator me interdum respicere tentasse, et semper horruisse; nam fluminis quae superior pars, quasi paratura iras, brevi in lacu moratur, aquae autem tum profunditate formidanda, tum illicibus, quercubusque impedientibus atrae, obscurae, nigrae, tartareae penitus et infernae; et, ne desit oppositio horrori tetro, nactae subterraneam inter rupes viam, per hanc spumis albescentes, fremitu horrendae praecipient. Dic, sodes; portam hanc duos inter montes in rupe quis aperuit, quis excidit? Si homo, ubi scalpri signa saxum mordentis ac terebrantis ingens?... Si nemo, habes

igitur in illa aetatem regionis; Anieni namque haec unica erumpendi via; ipse itaque perpetua lima aquarum suarum momordit rupem a summo ad imum. Habes igitur quantum quotannis secuerit. Si ergo distribueris numerum quantitatis huius per altitudinem integrum, habebis annum, quo, emersa ab undis Italia, Anio fluere cepit. Hoc ritu Niagarae casus de sua regionis origine testis est; nec aliter Velinus apud Interamnas, nec aliter Anio ipse apud Tibur, eo in loco, qui Boream spectat, itemque apud Vicovarium in rupe, cui Sancti Cosmae coenobium nunc imponitur, respondebunt, si bona fide, et non ad mendacium interrogentur.

Sed haec alias pertinent, non quae sequimur. Credo; vides tamen quanta argumento ingenio naturam rerum scrutanti hinc emicent; mox videbis quae historico praestent. Nam quae reliquiae murorum haerent monti sinistrorum praecipi, qui in Anienem imminet quasi triangulum satis acutum, cui fines aereum caeli, vertice, undae Anienses pedibus constituant, hac dicuntur Neronis Augusti olim fuisse rus; ab hoc palatio procedere solitus dicitur aurata cymba, purpureis velis, aureis argenteisque hamis piscaturus in lacu hoc tertio; nam porta illa ad S. Mauri inter rupes quadrato opere cladebatur firmissimo, retentaeque muro Anienis aquae refluebant ad Gennae locum, qui «exiguum infernum» (vulgo *Inferniglio*) nunc appellatur, et ultra. Hac in domo, dicunt, mensis accumbens, mediis in epulis et comeditionibus et orgiis et libidinibus Nerone dignis, afflatus est fulmine, quo murrheum immensi pretii poculum, manu versatum, ablatum fractumque est; ipse autem, quamquam incolumis et magno periculo liberatus, praesensit infastum omen, et sibi adversa parari. Quam in rem haec Tacitus habet:¹ «Discubantis Neronis apud Sim-

bruina stagna, cui Sublaqueum nomen est, iactae dapes, mensaque disiecta».

Oppositus huic a dextris ab oriente mons, non praeceps, non praeruptus minus, et deorsum interfluente Aniene tantummodo divisus, *Thale* dicitur, hoc est latine «mons». In hoc duo aedificia assurgunt admirabilia visu, tum ausu, tum externa magnitudine. Quod inferius est, S. Scholasticae nomen habet, toto penitus celebratum orbe terrarum; inde enim effulsit quidquid latinae aetatis habemus in libris; quotquot autem perierunt scriptores, eos Langobardorum rabies ignesque percurrent, non socordia Monachorum praeterit. Quod superius coenobium est, aedificatum a Patriarcha olim, post ruinas et excidia inde restitutum adhibetur ad servandam speluncam, in qua vir Dei Benedictus, Occidentalium Patriarcha Monachorum, quae mundi sunt, illecebras fugiens, pueritia ab ultima delituit, et Benedictini Ordinis praecpta constituit ac scripsit. Inde egrediens duodecim in Simbruina valle coenobia aedificavit, quibus non Simbruina, sed Sancta Vallis in posterum nuncupata est. Huic genus ab Aniciis et a Claudiis anno Christi CCCCLXXX, nam pater Anicius Eutropius Probus, mater Claudia Abundantia appellabantur. Istud autem superius coenobium, teste Mirtio in *Chronicon*,² convenientibus hominibus undique ad sanctum adolescentem, primo exstrui, primo habitari coepit est, atque inde nomen «Protomonasterii», quo decoratur. Sed, frequentioribus de die in diem advenis, alterum excitandum Patriarchae insigni monasterium fuit, ipsumque statuit inferius in valle *Puceia*, de quo in sequenti numero narrabimus; magni enim momenti res est; siquid enim cultus, humanitatis, disciplinarum, studiorumque supersit, hisce debemus.

H. P.

¹ *Annalium lib. XIV, § 22.*

² *MIRTIUS, Cap. II, Chron. Sublacens., et not.*

HISTORICAE NOTAE

De decem viris legibus scribendis

Plebs ascendit per gradus; tria cupit: civitatem, leges scriptas, paria iura. Primum iam adepta est, licet nondum plene: habet enim non civitatem modo, sed et tribunos, qui magistratus quidem non sunt; tales vero habentur a plebe et magistratis intercessione praestant. Iter tamen et ad veros magistratus mox ei patebit, idque una cum legibus scriptis obtinebit.

Itaque ut dissensionum causae amoverentur, anno CCCLXII a. Ch. n. Terentillus Arsa rogavit ut quinqueviri crearentur, qui leges consulari imperio praescriberent; id est leges omnes quae iam latae fuissent in unum corpus scriptis redigerent de consulari imperio moderando. Variis contentiobus deliberatio per decennium tracta est, et post impetratum tribunorum duplancororum potestatem ex lege Icilia, tandem intermissa. Reviviscit tamen Romilio Veturioque consulibus in plebem, quae militiam detrectabat, impotentius dominantibus. Tandem insequenti anno rem, ut certaminum finis fieret, ad senatum deferunt, si plebeiae leges displicerent et illi (patres) communiter legum latores et ex plebe et ex patribus, qui utrisque utilia ferrent quaeque aquandae essent, sinerent creari.

Rem non aspernabantur patres: daturum vero legem neminem nisi ex patribus aiebant. Quum de legibus convenienter, de latore tantum discreparerent, missi legati Athenas Spurius Postumius Albius, A. Manilius, P. Sulpicius Camerinus, iussique inclytas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores iuraque noscere.¹ Dionysius Halicarnassaeus addit visendas urbes, noscendas leges et moras et instituta Magnae Graeciae.² Post annum,

vel post biennium quum hi rediissent atque omnia retulissent, Appio Claudio rogante, decem novis legibus scribendis viri delecti sunt: patricii omnes extitere, concedente plebe, quibus summum reipublicae imperium commissum est, silentibus vel abrogatis magistratibus omnibus tum patriciis, ut erant praetores et quaestores, tum plebis, ut erant tribuni; intermissa ipsa provocatione atque legibus omnibus abrogatis, excepta lege Icinia de Aventino publicando, et legibus sacratis. Ita forma civitatis mutatur a consulibus ad decemviros.

Decemviri leges aliquot regias in novam legem deduxerunt: Graecas autem partim integras perscripserunt, partim emendarunt; partim ad populi mores consuetudinemque Urbis inflexerunt, novaque aliquot ipsi pro temporum opportunitate, ut suspicari fas est, interseruerunt.³ Ita primo anno Decemviri primum legum Romanarum corpus perfecerunt, easque leges decem tabulis aeneis descriptas in foro populo visendas exposuerunt, facta cuilibet facultate quid sibi videretur corrigendi, quidve addendum suggesti.

Vulgatur rumor duas aquandis iuribus deesse tabulas. Itaque sequente anno iterum Decemviri electi, inter quos denuo Appius Claudius, qui populari aurae studebat omnimode. Ferunt quidam et tertium Decemviro creatos, ut leges integrarent, illa addita de iure connubii inter patricios et plebeios, tertiumque Appium creatum decemvirum. Novissimi tamen Decemviri, licet et quidam plebei adlecti essent, plebi tamen adversi fuere, imprimis Appius Claudius, lege addita de iure connubii vetito inter patricios et plebeios; inde plebis renovatae contentiones et tumultus.

Patres quidam increpant Decemviro, inter quos L. Valerius Postumius et M. Horatius Barbatus; accedit iniquissimum iudicium quo Appius Claudius abiudicavit patri

¹ Cfr. GRAVINA, *De ortu et progressu iuris civilis*, XXXII.

LIV., III, 31.

² DION. HALIC. X, 51.

Virginio Virginiam filiam, quam ardentissime cupiebat, quamque, ut dedecore liberaret, pater manu sua trucidavit. Concitatur multitudi partim atrocitate sceleris, partim spe repetenda libertatis. Appius, retractante populo, Icilius in vincula duci iubet. Iam circa Icilius non solum multitudo, sed duces quoque multitudinis erant L. Valerius et M. Horatius ad omnia parati etiam ad vim ut Icilius defendenter. Hinc atrox rixa oritur: Decemviri lictor Valerium Horatiumque invadit: franguntur a multitudine fasces: in contionem Appius ascendit; sequuntur Valerius et Horatius: eos contio audit; decemviro obstrepitur; fractis animis Appius vitae metuens in domum foro propinquam, capite obvoluto, insciis adversariis se recepit. Spurius Appius, ut auxilio collegae esset, in forum ex altera parte irrumpit, videt imperium vi victum, agitat, trepidat, convocat senatum; senatus haesitat quid agendum: licet improbat Decemviro, tamen nec plebem irritandam censem, et multo magis providendum ne quid Virginii adventus in exercitus motus faciat. Plebs secedit in Aventinum: tumultus etiam in exercitu exorti, quos frustra Decemviri componere conantur; senatus impar est; Decemviri renunt sese abdicare; exercitus secedit in montem Sacrum «modestiam patrum suorum nihil violando imitati». Sequuta exercitum plebs. Iam urbs, iam forum, iam senatus deserta; tandem victi Decemviri, futuros se, quando ita videatur, in potestate patrum adfirmant, modo ut ipsis ab invidia caveatur, nec suo sanguine ad supplicia patrum plebem adsudefiant. Tum Valerius Horatiusque missi ad plebem revocandam componendasque res. Plebs per Icilius cum eis agit, repetens potestatem tribuniciam et provocationem, Decemviroisque supplicio plectendos. Legati consentiunt Decemviro abrogandos, tribunos et pristinos magistratus restituendos, exorant ut a novis suppliciis abstineatur: nunc — aiunt — libertatem repeti

⁴ LIV., IV, 44, 8.

⁵ LIV., ibid.

⁶ LIV., IV, 45.

ginii praevalet, et Appius in carcerem damnatur, ei die predicta. Caius Claudius, Appii pater, sordidatus cum clientibus frustra deprecatur pro Appio; itaque, spe incisa, priusquam predicta dies adesset, Appius mortem sibi conscivit.

Accusatur et Spurius Appius: in vincula ductus, ante iudicium diem ibi finem vitae fecit. Collegae in asylum aufugient: Decemvirum bona publicata, et M. Claudius, adseritor Virginiae, Tibur exsul petit, manesque Virginiae ita placati. Tandem M. Duilius, tribunus plebis, finem caedibus posuit «metumque patribus dempsit». Consules, rebus urbanis compositis fundatoque plebis statu, in provincias diversi abire. Latini et Hernici gratulantur de concordia patrum et plebis, dona in Capitolium ferunt, Romanos docent Aequos Volskosque summa vi bellum parare.

Consules partuntur provincias: Horatio Sabini, Valerio Aequi evenere: populus incredibili animo et numero accurrit, firmiter exercitus fit. Priusquam ex urbe egredierentur, leges decemvirales, quibus ex duodecim tabulis est nomen, in aes incisae publico proposuerunt. Sunt qui iussu tribunorum aediles functos eo ministerio scribant.

Haec traditio nos docet, quam primus Vico oppugnare coepit; eum rigidore critices ratione sequutus est Georgius Cornwall Lewis; rigidissima demum Pais et Lambert, qui traditionem paene subvertunt. Eis iuris magistri communiter non assentiuntur; quum autem utrorum argumenta et externa sint, et potissimum interna; haec vero non intellegantur nisi textus ipse legum prospectus ob oculos habeatur, ideo nos earum textum antea nobis persequendum censemus, quam de iisdem quid utraque doctorum acies censeat, quid nobis iudicandum videatur disseremus. Quod in proximis fasciculis perficiemus.

SYLVIA ROMANI.

⁷ Scienza nuova, 1091-1141.

COLLOQUIA LATINA

Occursatio altera¹

GEORGIUS - LIVINUS

GEORGIUS - O Livine, recte ne vales?
LIVINUS - Vellem quidem (Secus quam vellem - Sic satis - Non admodum ex sententia - Non optime sane - Valeo, ut solitus sum [ut soleo] - Valeo ut solent quibus cum medicis res est - Valeo ut possum, quando, ut volo, non licet - Ita, ut Superis visum est).

GEORG. - Ergo valetudo tua...

LIV. - Haud sane est commoda (Est incommoda - perquam incommoda - infelix - parum prospera - parum secunda - mala - adversa - infausta - imbecillis - dubia - mediocris - vix mediocris - longe alia quam vellem - tolerabilis - qualem optem hostibus meis).

GEORG. - Rem mihi sane quam acerbam narras; at bono sis animo oportet (Forti infractoque sis animo); multum enim iuvat animus in re mala bonus (Fulciendus est animus spe fortunae secundioris). Quid autem morbi est? (Quod mali genus est? - Quid te morbus habet? - Quo morbo teneris? - Quid habes morbi? - Quis te tenet morbus?).

LIV. - Nescio, et hoc labore periculosior.
GEORG. - Verum. Nam ad sanitatem gradus est novisse morbum. Nullusne consulisti medicos?

LIV. - Et quidem permultos.

GEORG. - Quid responderunt?

LIV. - Id quod advocati Demiphoni apud Terentium: ² alias negat, alias ait, alias deliberandum censem. In hoc consentiunt omnes, me miserum esse.

GEORG. - Quam pridem habet te hoc mali? (Diu est, quod teneris isto morbo? - Quantum temporis est, quod te malum hoc corripuit?).

¹ Ex ERASMO recognovit, deprompsit hodiernaeque vitae aptavit I. F.

² Phorm., act. 2, sc. 4.

LIV. - Dies plus minus viginti (Fermensis est - Iam secundus [tertius, quartus, etc.] est mensis). Mihi quidem saeculum videtur, ex quo aegrotare coepi.

GEORG. - Adnitendum censeo, ne morbus fiat familiaris.

LIV. - Iam nimium assuevit.

GEORG. - Num tibi febris?

LIV. - Quinimo et opinor febris speciem esse novam, ut novi subinde morbi exoriantur, antehac incogniti.

GEORG. - At plus satis erat veterum.

LIV. - Ita visum est naturae nimium novvercae.

GEORG. - Quoto die recurrit?

LIV. - Quoto die narras? Imo quotidie.

GEORG. - Papae! malum abominandum. Unde contraxisti morbum? (Unde suspicaris, hoc esse collectum mali?).

LIV. - Ex inedia.

GEORG. - At non soles usque adeo superstitionis esse, ut te ieunio maceres.

LIV. - Non erat religio, sed inopia.

GEORG. - Quaenam?

LIV. - Quia non dabatur cibus. (E frigore natum arbitror - E putribus ovis morbum ortum suspicor - E crudis malis contracta est stomachi cruditas).

GEORG. - Nullum arcessisti medicum rei singularem?

LIV. - Si moriendum est, malo semel mori, quam tot medicis et pharmacis excarnificatus.

GEORG. - Si diffidis homini medico, precor ut sit tibi medici vice Deus. A Christo pete sanitatis beneficium.

LIV. - At ego an beneficium sit nescio.

GEORG. - An non beneficium est liberari morbo?

LIV. - Nonnunquam mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi quod scit optimum esse mihi largiatur.

GEORG. - Bene quidem; ego vero fido ut reviviscas, et in pristinam sanitatem sis quam citissime restitutus.

ANNALES

Europaeum discrimen

Europaeum discrimen novas semper nec opinatas res praesefert. En nunciatur Septentrionalium Foederatarum Americae Civitatum copiae in Islandicam terram esse egressae, quod permitti non posset Germaniam loca occupaturam, quae basim constituerent fortuitae in occidentale haemisphaerium aggressionis. Eadem sub specie alia missa sunt ab Americis iisdem Civitatibus agmina in loca superiore anno ab Anglia conductum habita. Promittunt se hos exercitus reducturos, quum ab armis recessum a bellantibus tandem fuerit; praeterea iura et libertatem Islandiae sese servaturas suaque bona officia praestituras, ut eadem in pacis quod fiet foedere recognoscantur; insulae incolumentatem per delictos milites et sine Islandiae expensis vindicaturas; denique oeconomics eius rationes, commeatus, navigationem tutaturas. Hisce condicionibus dicitur cum supremo Islandiae administro copiarum egressus compositus fuisse.

Quod si ad extremum Orientem oculos convertimus, in Syria inducias factas fuisse videmus inter Angliam et Galliam; in India vero extra Gangem, hanc cum Iaponia foedus feriisse de illius regionis mutuo praesidio; quod tum Septentrionalis Americae Foederatae Civitates, tum Anglia aegerime tulerunt. Hinc fidei et pecuniarum rationis illarum nationum in Iaponiam concretio, per quam impossibilis fieret, inter cetera, petrolei et sericorum exportatio. Iaponia par pari concretoribus reddit.

Praetermittendum praeterea non est, Rooseveltum, illarum Civitatum Praesidem, et Churchillum, Supremum Anglorum administrum, in oceano convenisse ad communia quaedam consilia distincte designanda de rebus, quae nunc per vim agi-

gentem suas copias uniunt omneque petro-
lei illic territorium sibi subigunt. Vehemen-
ter, at frusta, reclamant Persae; admini-
strorum collegium suo munere se abdicat;
novum quod sufficitur, fortasse ad maiora
damna vitanda, res hisce principiis com-
ponit.

I. Angli et Russi idonea quidem Persidis
loca occupabunt; recedent vero quum cau-
tionum necessitas, quae ad hunc actum im-
pulere, cessaverit.

II. Nunquam tum Russi tum Angli in-
teriori regimis ordini sese interponent.

III. Cum mutationis forma pecuniae
auxilium Persidi Anglia commodabit.

Huiusmodi conventa minus accepta regi-
Riza Pahalevi fuisse videntur; imperium
enim is cessit Mohammed filio, qui rerum
summam assumens non sine multorum
admiratione edixit, Persicum gubernium
una operaturum esse cum Anglia ac Rus-
sia, quippe communis sit omnium utilitas.
Quod reapse haud satis dilucide appetet.

Pridie kal. Oct. MCMXLI.

POPLICOLA.

PAROAEIAE SIVE ADAGIA

NON OMNES QUI HABENT CITHARAM
SUNT CITHAROEDI

M. Varro, in libro *de re rustica* secundo,
hanc sententiam habet. Huc adscribendum
videtur quod lepide scripsit Seneca, quem-
dam personam malle, quam faciem. Faciem
vocat ubi quis talis videtur qualis esset;
personam quum praesefert aliquis, quod
non est. Potest et ad avaros torqueri, si
neges eos divites qui possident opes eis
nosse uti; ut non est citharoedus qui tenet
citharam, sed qui recte citharam noverit
adhibere.

NOVIT QUID ALBUM, QUID NIGRUM

Duplicem in sententiam hoc adagium
accipi potest, nempe aut: « Novit discrimen

recti pravique », aut: « Novit id quod ne-
mo vel indoctus ignorat ». Nam evidenter
est albi nigriisque discrimen, quam ut quis-
quam non videat. Aristophanes in *Equiti-
bus*: « Nullus nunc est qui nesciat Arigno-
tum lyristen, qui album noverit rectosve
noverit modos ». Interpres ostendit expo-
nitque proverbium: « Videtur esse tractum
a priscis illis mortalibus, qui duos tantum
naturales colores noverant, album et ni-
grum, teste Pompeio ».

LIBERA A PITTA CHIS RESPONSA

Cl. v. A. HAB..., Romae. — Quid nobis Ave-
narius agit? Ex quo in Urbe est, longe magis
abesse videtur quam quum in Germania mor-
aretur.

Rev. v. A. CA....., Bononiae. — Qui a no-
bis desideratur adhuc fasciculus, non mensis
Decembri superioris anni est, sed Decem-
bris MCMXXXIX.

Cl. v. H. L., Vratislaviae. — Litterae tuae
serius ad nos pervenerunt, quam ut scriptum
in hoc fasciculo edere possemus. Locum igitur
in proximo habebit. Doctori illi quae no-
bis commisisti scripsimus.

Cl. v. I. ISS..., S. Leonardi in Helvetia. —
Ut vides, « notae » confectae sunt. Nonne alias
eiusdem vel alius generis habes? Gratissimum
nobis feceris, si eas quo cito miseris. Neque
minus gratum, si inter veteres chartas expi-
scando, aliquem *Almae Romae* fasciculum eo-
rum qui a nobis desiderant tibique suo tem-
pore non uno exemplari tradidimus, inveneris,
nobisque pro humanitate tua reddideris.

A SECRETIS.

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreon.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPI POLYGLOTTIS VATICANIS


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.





Tardas de publica re consultationes esse vitandas.¹

Est istud peculiare vitium cum Rerum publicarum tum Principum omnium, qui cunque parum prudentia, viribus consilioque valent, ut in consultando nimis tardi esse soleant; quae res tunc imprimis periculosa est, quando agitur de suppetiis ferebantur aut denegandis iis, qui aut ut amici, aut ut hostes tractandi sunt. Sive suspendantur huiusmodi rerum deliberationes inopia consilii et virium, sive odio eorum quibus auxilia decernenda sint. Et qui boni patriae cives esse volunt non eas deliberationes debent impedire, quibus videant auxilia decerni iis, quos odio privato prosequantur: semper enim publica privatis anteponenda.

Quum interfecto Hieronymo, Syracusanorum tyranno, bellum esset inter Carthaginenses et Populum Romanum, diversae erant Syracusanorum factiones; quod alli in Romanorum amicitia permanere, alii se Carthaginensibus adiungere vellent, iamque civitas, diversis studiis divisa, nil certe decernebat. Sed Apollonides, principum Syracusanorum unus, ostendit illam consilii ambiguitatem perniciem civitati accelerare: sive igitur ad Romanos, sive ad Carthaginenses inclinent omnes, gratum fortunatumque fore; sin alias alio trahat res, nec certi quicquam constituent, bellum quod inter Poenos et Romanos esset, ad Syracusanos redditum, et oppressum iri civitatem.

Idem periculum, quod ex ambiguitate consilii Syracusanis impendisset, Livius hoc exemplo ostendit, etiam quibusdam Latinorum sociis, Lavinis praesertim, accedit. Nam quum Latini in bello adversus Romanos auxilia ab iis petiissent, Lavini tam diu deliberarunt, ut non prius decer-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI. - Cfr. fasc. sup.*

nerent auxilia, quam Latini caederentur. Itaque quum iam extra portas Milonius, eorum praetor, cum auxiliario milite proficeretur, ac nuntiaretur Latinos iam caessos esse, respondit exiguum illud itineris quod confecissent, ut sociis suppetias ferrent, a populo Romano magno pretio redendum fore: quae quidem illis accidebant ob nimis diu suspensam deliberationem, nam sive auxilia illis suppeditare, sive denegare vellent, cito decernere oportebat; atque ita si negassent populum Romanum non offendissent; si decrevissent, adiumento esse potuissent, ne caederentur; differendo periculum evitare non potuissent. quicumque tamen esset rerum eventus.

Icosa

TUCCIUS ante ostium posuit molossum. Amicus, qui nostrum invisendum accedit, canem quum videt, clamat:

— Heus Tucci, numne mordit hic canis?

TUCCIUS: — De hoc quidem experimentum agere cupio; canem enim hodie tantum emi.

TUCCIUS Patri blandiens:

— Hac nocte in somnis mihi visus es duabus argenteis libellis me donasse.

— Optime; quia hesterna die recte fecisti, eas retinere potes.

Aenigmata

I

Pauperies ego sum: queis ad vitam est opus, illis
destituor rebus. Me prōcul usque mane!

Quod vocem claudit, si voci sigma preiret,
urbis conspiceres moenia Sicanaiae.

II

Suspectus sceleris sto iudicis ante tribunal.

Praefigis geminas si mihi litterulas,
exoritur princeps Persarum, mente superba
qui quondam Graecis impia tela tulit.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Columna, Columba;*
2) *Hōra, Hōra.*

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

HISTORICAE NOTAE

Legis XII tabularum brevis expositio

Aeneas vel lapideas legis tabulas scriptas Romae nemo unquam vidit, nemo earum legum verba ad litteram exscripsit, quarum ideo dissecta disiectaque membra hinc inde, praesertim a iuris consultis atque grammaticis, accepimus; raro verba ipsa, plerumque sensum tantum.

His reliquis XII tabularum undique colligendis restituendisque primus sollerter navavit operam I. Gothofredus;¹ recentiore autem aetate diligentissime restitutions inde a saec. XVI factas concessit atque exposuit H. Dirksen,² ubi etiam eos enarrat qui a saec. XVI ad ipsum huic studio dederint operam; viamque rationemque novam ad idem studium aperuit ac stravit, a qua haud longe abscessere qui postea de eadem re scripserunt. Eum sequutus est Rud. Schoell,³ qui ex artis philologicae ratione plurimum contulit ad easdem colustrandas, et I. Wordsworth⁴ et C. C. Bruns.⁵ Huius praesertim vestigia deinde presserunt I. Riccobono,⁶ Bonfante et

¹ *Fontes quattuor iuris civilis*, 1653.

² *Uebersicht der bisherigen Versuche zur Herstellung des Textes XII Tafeln Fragmente*, 1824.

³ *Legis XII tabularum reliquiae*, 1866.

⁴ *Fragments and specimens of early latin*, 1874.

⁵ *Fontes Iuris Romani antiqui*.

⁶ *Fontes Iuris Romani Anteiusiniani*, Florentiae 1909.

Pachioni in suis historiis iuris romani; eadem nos ut plurimum sequemur.

Iamvero ipsi jurisconsulti romani legem XII tabularum explanaverunt, commentariosque in eam ediderunt, inter quos Sextius, Aelius Petus Catus, M. Antistius Labeo, Gaius; quorum tamen opera malo fato periisse, aut ex integro, aut magna ex parte, ita ut nec lex ipsa, nec legis ordo ad nos pervenerit, sed fragmenta tantum in jurisconsultorum, vel etiam grammaticorum operibus contexta. Quae tamen fragmenta satis sunt ut de lege integra disputare possimus. Atque haec in primis pro certis habenda videntur:

a) Duodecim fuisse tabulas; quarum singulæ de re quadam leges simul continerent, ut singulæ leges afferri possent. Ex. gr. « In secunda tabula, secunda lege scriptum est... » (FESTUS).

b) Quaedam leges ubi essent scimus.⁷

c) Quo ordine digestae singulæ tabulae essent, aut singulæ leges, dispici quandentus potest e commentariis Gai, et ex operibus de iure civili.

Quae quum ita sint, exhiberi iam potest «systema iuris» ex lege XII tabularum:

I. De iudiciis (Tab. I-III).

II. De iure civili et de obligationibus ex delicto (De iure familie et hereditario; De rerum dominio; De contractibus et de

⁷ Cfr. CICERO, *De legibus* II, 25, 64.

obligationibus; De divortiis; De tutelis et curis; De delictis privatis) (Tab. IV-VIII).

III. De iure criminali (Tab. IX).

IV. De iure funerum (Tab. X).

V. Supplementa (Tab. XI-XII).

Singula argumenta per ordinem perseguemur.

SYLVIA ROMANI.

DE CATHOLICIS MISSIONALIBUS

« Reputantes ethnoscopulos ad decies milles centena milia numerari, non habemus requiem spiritui nostro ». (Pius XI, « Rerum Ecclesiae »)

Si quid est in rebus humanis plane divinum ad quod omnium studia se convertere debeant, id certe est animorum aeterna salus. Etenim animus, pars hominis praestantissima est atque immortalis, quo neque melius neque pretiosius aliud in natura mortalium est, atque a Deo creatus ut, aliquando, stabili certaque beatitate aeternis saeculorum aetatibus cum Deo Ipso potiatur.

Quo magis est mortalibus laborandum, suamque singuli operam praestare debent, ut, non modo suae quiske saluti consulat, sed aliorum quoque, quum nullo omnino modo maiorem insignioremque proximis nostris caritatem exhibere possimus, quam si eos e superstitionis tenebris educendos atque Christi fide imbuendos curaverimus; hoc ceteris caritatis operibus sic praestat, quemadmodum animus corpori, caelum terris, aeternitas temporis antecellit, ita ut cetera omnia in comparatione, nullius pae- ne momenti esse videantur.

Quid melius in terris invenies quam hominibus divina verba nuntiare? Quid iucundius quam ea referre, quae Iesus discipulis ad gentes Sui legatos mittens edixit? Quid mortalibus, ne maiori dicam laudi, pari esse poterit ornamento et dignitati?

Quare summa veneratione divinum Chri-

sti mandatum sumendum, eoque sumpto, maximo honore et inviolata fide ad extremum usque diem ferendum, nostrum cura sit, quos sibi Deus iunxit amicos.

Sed ut singulare quiddam attingam, iuvat me hic nobiles sanctosque viros commemorare, qui haec divina Christi verba: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae » sua plane fecisse videntur; quorum quidem recordatio non modo opportuna, sed admirationi et exemplo nobis sit oportet.

Clarissimi illi viri, Missionales qui vocantur, christianum nomen atque evangelicum vivendi genus ubique terrarum in dies augent et studiosissime sublimis religionis et pietatis veritatibus, ingentem multitudinem, evangelicae legis adhuc insciam, pecudumque ritu vitam agentem, imbuunt.

Funesta tot populorum condicio, quos tenebrae horridae barbariae, quos dolenda calamitas errorum ac superstitionum detinent atque obruunt, eos maturius tangit atque movet.

Mirum! Eorum opera, ex disiunctissimis barbarisque regionibus, alter fidei christianaem emersit orbis: centena mortalium millia, miserandis circumfusa tenebris, vesanis ritibus ac deorum inani superstitutionibus implicata atque in unius veri Dei ignoratione versata, ex oblivione in communem humani generis societatem sunt restituta, atque a fera agrestique vita ad hunc humanum civilemque cultum duducta.

Iam illud, hodie quoque, non infrequens est exemplum sane pulcherrimum religiosi magnificientiaeque; incredibile quidem dictu, memoratu gratissimum; tot iuvenes fortes, atque virginis audaces, patria, parentibus, vitae commodis relictis, barbaras petunt regiones, ubi saepe eos immatura et acerba manet mors, nullo emolumento incitati, hac una spe ducti, ut eorum crescat multitudo qui veracem Deum excolant. Nonne videmus eos, nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem,

omniisque perpeti, ipso hominum amore captos et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex erudiendo capiant, voluptatem? Quem caritatis ardorem censemus fuisse in missionalibus illis, qui pro Christi nomine vitam dederint?

Quid de Francisco? quid de Massaia aut Xaverio loquar? a quibus propter evangelicae legis amorem, videmus ultimas terras esse peragratas.

Nos equidem, qui Christi nomine, mira ipsius bonitate, vocamur, amantissimi omnium gentium Redemptoris, quique adeo laetamur de plurimis gloriosisque, omne genus, Ecclesiae promeritis, vix possumus eloqui quanta miseratione erga illas afficiamur infelicissimas gentes, quanta caritatis amplitudine ad eas pandamus brachia, ut uni veroque Deo, sub Christi suavissimo iugo, possint tandem servire, divinae hereditatis nobiscum participes.

Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine Christo esse potuisset?

Tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos iustitiam et piatem erga Deum et parentes docuisti; tu Magister morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus; a te opem petimus. Cuius igitur potius opibus utamur quam tuis? Qui et vitae tranquillitatem largitus es nobis et terrorem mortis sustulisti.

Quare vehementer ad extremum petemus a Dei Spiritu, Satanae ut tollat imperium; ut vincat et triumphet Christus; ut vigeant sanctissimae eius leges toto orbe terrarum; nullus et proditor, et desertor Eius sit, sed tales se praebant omnes, ut constitutam illis ex omni aeternitate possessionem adeant Regni Caelorum, ubi beati cum Christo, sempiterno aevō fruantur.

Bononiae.

ANGELUS CARBONI.

Discipuli perfectio magistri laus.

S. AMBROSIUS.

RUIT AETAS!

*Tibi quid excors longa fingis tempora
et inquieto pectore
rerum novarum congeris molimina.
carenda semper exitu?
In colle lucus me puello consitus
adhuc virescit frondibus;
Taburnus idem quem videbam parvulus
tollit superbum verticem;
mihi iuventa verna contra decidit,
fugacis instar somnii;
etate fractum iamque corpus exhibet
ruentis ictus temporis.
Sed vita quorsum longior? quae munera
dat terra digna spiritu?
Plerumque foeda saepiusque ludicra,
mentem parumper attontant,
sitimque mox, quae corda torquet, acrius
beatitatis excitant.
Quid quod malis abundat et maeroribus,
urgensque cura cominus,
libata paulum, mox amaro toxico
spargit vel ipsa gaudia?
Tantisne vitam fertilem doloribus
quaeris diu producere?
Quid mors? malorum concupitus terminus
vitaeque verae exordium.
Dum sub tyrannis ingemiscit improbis,
dum fert iniqua martyres,
feliciori sede nonne proderit
mutasse terram noxiā?
Compesce questus nec moreris emori:
caelum tibi promittitur!
Mors nempe tempestiva semper accidit
cui vita Christus exstitit;
occumbit immaturus, ut vetustior,
spes dia cui non splenduit!*

HIRPINUS.

PIUS VI PONTIFEX MAXIMUS¹

Publicum aerarium instauravit, leges optimas dedit, latrones exterminavit, et, praeceteris, cavit ne cuiquam quid minimum ultra ius fasque liceret.

Romam voluit monumentis insignem, amphitheatrum Flavium, addito opere, a ruina extrema prohibuit, sacrarium Vaticana basilica dignum a fundamentis excitatuit, ubique in pontificia ditione egregia edidit opera, plura facturus, nisi lugubre immugiens Gallia, subvertens omnia, et Italiam inhians thesauris, omnia caede, bello, rapinis implevisset.

Horret ac refugit animus a commemoratione scelerum, quae suprema superioris saeculi compleverunt.

Haec auditu atrocissima Pium vehementer angebant, et intentum ditandis populis, agriculturae, lanificiis, commerciis provehendis ad sublevanda miserrima, ad infelices inopesque omni ratione sustentandos, magnas inter angustias additas distrahebant.

Interea Napoleon ille Gallorum dux magno ingruiebat exercitu, fusisque exiguis Pontificis copiis, iniiciebat manus in Lautretanae basilicae thesauros, in publicas et privatas opes, atque Urbis aeternae musea, bibliothecas populabatur, congestum a Xysto V in Adriana mole aurum ter centies et ultra libellarum centena millia, Gallica republika iubente, rapiebat; mox iterum amplioresque rapinae mandatae, patrataeque sunt; neque enim quoquot pretiosa vasorum erant in templis urbanis ad expledam avaritiam sufficere videbantur.

Octuagenarius Pontifex Pius, sollicitudinibus, moeroribus obsitus, magis quam annis, atque confectus, valetudine labrare, atque in exitum vergere visus est. Tunc hi, qui Gallicam rempublicam administrabant, sibi vindicarunt, quod iam ante

perspexerant, ut ultimo Pontifici catholico (ultimus ex his fore Pius videbatur) et exsiliu, et carcerem, et interitum quam citissime compararent. Nec mora. Potiuntur Urbe, invadunt omnia barbarico modo, et dum coenantem Senem adoriuntur exsilium dicturi, latrocino turpissimo ea tollunt quae Pontifex suo usui addicta tenebat, non illa thecula aurea excepta, qua nictitano interdum pulvere recreabatur; Hispani regis donarium hoc erat.

Detrusis in carcerem cardinalibus, et quotquot erant haerentes Pontifici, xix mensis Februarii die, mane summo funebribus lucentibus taedis — nondum enim illucescebat — rapitur Pius hora post dimidium noctis quarta, cui frustra oblata libertas et magnum auri pondus fuit, si regnum scripto dimitteret, Gallisque traderet. At ille: « Habetis corpus meum in potestate vestra; animam meam non habetis. Vos ea quae carnificum sunt, me ea quae Pontificis manent ».

Ita nec mora, comitantibus efferatis militibus, per viarum incommoda subsulstanti curru trahebatur Pius, in quem senectus, morbus ingravescens, frigus, vigiliae, interdum fames et sitis plus aequo saeviebant. Sic inter Alpium nives, septus armis, haud aliter ac si latro duceretur aut bellua, rapiebatur lacrimantibus in occursum populis, et genuflexis ubique, saepe etiam acclamantibus, frusta frendente manu carnificum, quibus tamen satiare dabatur et explorare iram duplicatis contra morientem pene senem saevitiis, qui iam in eo erat, ut pedibus uti non posset, ac tanquam semimortui pondus e curru in diversoria deferebatur; diversoria tamen optimates urbium saepe offerebant.

Valentiam Delphinatus attigerat, in arce deponebatur decimaquarta mensis Iulii die; Augusti autem vigesimanona benedicens et precans a carcere, a carnificibus, ab angustiis et moeroribus huius vitae aeternum liberatus est morte.

¹ Cfr. fasc. sup.

Pium brevi moriturum omnes praenovabant; nam quae patrabantur in martyrem nemo ignorabat; mirabantur immo tam diuturno attrita martyrio membra senis nondum resolvi; nihilominus, audita morte, ubique conclamatum lugubre est, et funebria solemnia non urbs, non villa fuit quae non celebraret sacris, prece; neque praeconium fuit in quo ea, quae notabat historia stilo aeterno, inter victimam et tortores possent obrui silentio.

Et victima egregia hac, ultimo quasi holocausto propitiationis, inter Superos et homines conciliata pax est, ut turbulentissimi fluctus resederint.

Pergite nunc, et conferte exsulantis iter Pii cum illo triumphali itinere, quo sacrum cadaver Romanum revectum est. Plaudebant coronis et palmis redeunti populi, et quasi vivo gratulabantur. Mihi autem legenti ea, quae tunc fiebant, redit in mentem illud ex libro Esther: « Ita honoratur, quemcumque voluerit rex honorare! » Tunc ante Mardonchaeum Aman haec; modo Gallicae reipublicae consul, Napoleon idem, qui tanta necis pars fuerat, ante cadaver Pii conclamabat! Rex autem non Assuerus, sed Deus!

G. P.

AESTIVAE PEREGRINATIONES

Sublacum¹

Monasterium quod in valle Puceia Benedictus constituit Sanctis Cosmae et Damiano dicatum, post Patriarchae mortem S. Honoratus, tunc asceterii abbas, olim ipsius Benedicti discipulus, cui in regendis S. Vallis coenobiis successerat, amplificatum, et augustiore templo ditatum, volevit ipsius viri Dei et Scholasticae, sororis eius, nominibus illustre. Hoc itaque, usque

¹ Cfr. fasc. sup.

in praesens, est, quod Sanctae Scholasticae monasterium, et archicoenobium appellant (dum superius, specuense scilicet, a Sancto Benedicto appellatur), ipso Gregorio Magno Pontifice consecrante, et novum titulum iubente. Tertium fuit monasterium Sancti Angeli post lacum, sive in Balzis; quartum Sanctae Mariae Morrae-Buttis; quintum Sancti Hieronymi; sextum Sancti Ioannis Baptistae in Campo de Arcu. De quo monasterio ac templo haec non praetereunda reor, quae Mirtius praebet in *Chron.*:² « Quo loci Sanctissimus Patriarcha Benedictus ad sedandum murmur monachorum, qui in tribus montium monasteriis commorabantur, et aquae penuria laborabant, assiduis importunisque permotus postulationibus, quum noctu eo perrexisset, Deum attenta oratione deprecatus, aquam e montis rupe subito profluentem mirifice impetravit ». Tum haec addit in nota, quae corona sunt facti, et quasi fastigium: « Sanctissimum Patriarcham Nostrum Benedictum iuxta monasterium Sancti Ioannis Baptistae fontem a Deo precibus imprestrasse, ultra maiorum nostrorum traditionem, accedit ad testimonium sacri specus pictura, nomen titulumque loci demonstrans. His addam et alium non spernendum testem, sincerae fidei, loci eremitam, qui cum pro veneratione fontalem hinc illucque aquam dilabentem in structili vase colligere curaret, coepit subterraneas fontis venas rimando pervestigare. Porro ad id operis executionem necesse fuit ingentem humi acervum effodere. Scaturigo quippe Benedictini fontis ob nimiam temporum diuturnitatem (annos supra mille et circiter trecentos) cooperta terra dumis fruetisque obsita exstebat. In ea itaque fontis investigatione dum rimas profundius inquireret eremita, tres reperit petras, quarum divus meminit Gregorius (qui annis DLXXXIII, DCIV scribebat, festis de visu et de mora, neque

² Cap. V, 51

ambulatorius, neque fortuitus, neque peregrinus), non eo, quo scripsit, positas ordine super invicem, sed inferiorem in plano collocatam solo, cui duae aliae superimpositae petrae, quasi in modum cunei erectae, et combinatae (*sic*) stabant. Utrum vero haec sint, aut fuerint, quas Ss̄m̄ Pater pro signo suis manibus posuerit, non ausim affirmare, et ab annis mille atque amplius centum — (Mirtius ad annum usque MDCXXXII plus minusque vixisse fertur) — usque ad hoc nostrum saeculum intactae ibidem permanserint, non ausim affirmare... Ceterum fontis illius aqua tantae est salubritatis, qua salubriorem vix alibi reperiri crediderim; eo quod ad supplicationes Ss̄m̄ Patriarchae fuerit divinitus concessa. Cuius divinam propemodum virtutem febri assida laborans, sanguinisque fluxum patiens, paeneque moribundus (ad Dei optimi laudem dico), ipsem expertus sum».

Septimum ex coenobiis aedificatum fuit eo in loco, qui tunc *Vinea Columbaria* dicebatur, in exigua planicie supra laci ripam, et Sancto Clementi Pontifici et Martyri dicatum; hic pulchra fuisse narrantur opere marmoreo pavimenta tum quadrato, tum texellato; frequentior hic Patriarchae mora; hic hortus arboribus pomiferis consitus, hic plura patrata miracula, hic ad Benedictum venisse et cum eo discubuisse Aequitius, Tertullus, Gallicanus, Vitalianus, Dolabella, Gordianus, Boetius Severinus ac Symmacus. Pone hunc hortum, egregius arte, aedificio, pons a palatio Neronis, laeva ex parte lacus ad dexteram Thaleii montis pendicem, ferebat. Ex huius palatii ruinis, ac templi, erutae porphyreticae columnae et candida marmora, et ad ornandum Sanctae Scholasticae templum et coenobium adducta.

Octavum est, Sancti Blasii iam inde existens, fortasse Basilianis incolentibus Monachis, uti Vicovariense Sanctorum Cosmae et Damiani asceterium, et solitudo, in quod accitus Patriarcha fuit, et insidiis venenati

calicis quae situs ad mortem. Nonum Sancto Michaeli Archangelo dicavit; decimum Victorino Martyri ad radices montis Porcarii; undecimum Gennam versus, cui «vita aeterna» nomen; duodecimum denique Sancto Andreae Apostolo dicatum est, ad fines Sublacensis abbatiae in agro Carseolano, prope castrum cui nomen italicum *Rocca di Botte*, scilicet «Arx Buttis», quippe Buttis, Cotys Regis Thracum filius, cum obsidibus Carseolos est missus.

Quorsum haec tam acuto stylo sequutus? Uti sciamus quid Benedicto simul, quid Sublacensi regioni debeamus. Non enim unumquodque coenobium minus XII viros doctos habebat, quibus ita divisus dies, ut octo horas impenderent psalmis precibusque, octo in transcribendis libris, quibus latinorum temporum divitiae in posteros defluerent, ac turbulentissimorum annorum praeter procellas fluctusque veherentur in columnes, octo reliquias ut somni, cibi potusque necessitatibus satisficeret. Super hos asceterium habebat et tirones, monachos, qui terrae colendae, qui moliendis calce, ferro, ligno, scalpro operam navarent, et ceteris artibus. Quapropter Benedictinorum Sublacensium opere, quidquid grande, singulare, egregium latini scriptores ab Ennio, ad Catonem, Varromem, Gallum, Claudium Augustum, et ultimos Claudianos ediderunt, integrum et incolumē ad nos pervenisset, qui vix decimam nunc horum partem habemus. Cur ergo non pervenit? Quia effera Longobardorum gens, ipsa beluina immanitate ferocior, ex ultimis Europae finibus in Italas properabat oras, non ut quasi turbo percurreret, non ut in incolas dominaretur, sed ut omnia raperet, omnia incenderet, omnia occideret, locusque esset sibi occupandi sedes, quas mors et incendium vacuas fecissent. Hisce a tetricis furiis, satis nunquam execratis et execrandis, omnia ad unum sanctae valles coenobia expilata, incensa sunt, praepter ea quae monachorum sanguis superef-

fusus late restinxerat; at haec post caedem diruta, subversa. Hinc tanto labore divitiae, scientia, artes perierte, a Sublacensibus, inquam, Benedictinis congregatae, qui non modo in Sublacensibus coenobiis, sed in sexcentis aliis, exstabant. Nam super montibus Aequicolis, Marsis, Pelignis, Vestinis, Sabinis, in vallis, in agris, in collibus Carseolanis, Sublacensi regioni vel proximis vel finitimis, Benedictina diligentia, industria, gratia, sedulitas, beneficentia, pietas aut asceteria exerent, aut accep- erat, et magna cum laude possidebat.

Quanta autem clades, quanta ruina inde fuerit vel hoc uno cognoscitur, quippe centum ac duodecim — oppida et vici — Benedictinorum Sublacensium erant. Quid ultra? Ab agris Palentinis (hi ad Scurculam in Marsis inter Advetianum ac Talleacotium sunt), usque ad mare Tyrrhenum inter ostia Tiberis et Circeum, perpetuus fundus Benedictinus reperiebatur, in quo monasteria, asceteria, coenobia, hospitia, diversoria, quae *Grancias* nominabant, frequentissima numerabantur. Haec omnia, usta, subver- sa, in cineres et solitudines Longobardorum rabie redacta sunt!

Atque ex hisce nonnulla in ruinis saeculo integro iacerent, prouti monasterium Specuense et Sanctae Scholasticae; plura trecentis, et quingentis ferme annis, plurima nunquam ex clade illa rursus excitata sunt, bona fundosque invadentibus Longobardis praedonibus, velamen latrocini, habentes nomen dynastae, quibus postea iure belli Franchi successerunt, inde alii super atque alii, quasi, quod pius nolo scribere, sata- gentes ostendere. At ubi Sublacensia illa duo lumina revixerunt, iidem in eis labores ad asservandum quod nobis latinum su- prest, iidem hominum virorumque adventus, ita ut a Gregorio Magno ad Pium IX Pon- tificem, ab Imperatore Augusto Ottone III (nisi Otto et Carolus, Magni utrique ges- tis et cognomento, praeiverint) ad Augu- stum Petrum de Alcantara Brasilianum,

rari sint, qui Romam adventantes Subla- censia monasteria non inviserint. Iamque ego nescio utrum a Giotto ad Fracassiniū pictor, sculptor, immo optimarum artium studiorumque cultor exstiterit tum ex alienigenis tum ex nostratis, qui Romae moratus vel Tibure, Sublacum non visitave- rit. Tot enim ibi sunt Musarum thesauri, quot regiones, quot agri, quot saxa. Qui- nimo praeli artem, qua mobilibus characteribus nunc libri scribuntur, non Guttem- berghiana manus, sed manus monachorum primum in archicoenobio Sanctae Schola- sticae, ipso ab exordio rei, in Italia exer- cuerunt; cuius quidem facti impressi, quot illuc servantur aetatis eius libri sunt testes, prouti clarus vir Leo Allodi, in prooemio ad *Chron. Mirtii*, tuetur.


Tanta autem prospectum varietas, et ita oculis blandiuntur aquis, agro, rupibus, caelo, arboribus, cavernis, montibus omnia, ut fruentibus oculis conspici, lingua narrari non possint. Quid pulchrius quovis spatio loci ab urbe ad specum, ad lacuum loca prope flumen, prope montes? Quid grandius aspero loco illo ad scenae morem natura conflato, rupibus hinc inde eminen- tibus instar dentium, ad dimidium circuli, qui habetur ubi per Gregorianam viam sini- storum divertas paucis post passibus ab «icone Salvatoris», ferme sub aedicula Deiparae, cui nomen a febri, Boream ver- sus in imo torrentis?

H. P.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

Participium perfectum cum «habeo»
Utuntur Latini participio perfecto cum verbo «*habeo*», ut significant eam actionem quae participio inest, plane quidem absolutam esse, sed vim eius et eventum adhuc permanere.

¹ Cfr. fasc. sup.



EXEMPLA: Omnes *habeo cognitos sensus huius adolescentis* (CIC.) — Neque ea res *falsum me habuit* (SALL., *Iug.*, 10) — Quid potest esse tam opertum tamque perspicuum, quum caelum suspeximus, caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? Quod nisi *cognitum comprehensumque animis haberemus*, non tam stabilis opinio permaneret (CIC., *Nat. deor.*, II, 2) — Id *habent ratum*, quod ab eo quem probant, iudicatum vident (CIC., *Nat. deor.*, I, 5) — Non erunt homines delicii diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu nec ratione *habent cognitam*, disputabunt (CIC., *Am.*, 14) — *Persuasum habeo* (CIC., *Verr.*, V, 25, 64) — *Inclusum senatum habuerunt ita multos dies*, ut interierint nonnulli fame (CIC.) — Verres deorum templis bellum semper *habuit indictum* (CIC.) — Atticus philosophorum *percepta habuit praecepta* (CORN. NEP.) — Vale et matrem meosque tibi *commendatos habe* (CIC.) — Multis iam rebus perfidiam Aeduorum *perspectam* Caesar *habebat* (CAES.) — Syracusam primum mihi litteras publicas, quas in aerario sanctiore *conditas habebant*, proferunt (CIC.) — Ita *statutum habeto*, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere (CIC.) — Simplex animi natura est, neque *habet* in se quidquam *admissum dispar* sui atque dissimile (CIC.).

COLLOQUIA LATINA

Invitatio ad deambulandum¹

PETRUS, MARCUS puer, IOANNES
PETRUS - Heus, heus puer! Nemon' huc prodit?

MARCUS - Quis effringit fores? Familiarem oportet esse. Tu, Petre? Quid adfers?

¹ Ex ERASMO recognovit, depromisit hodiernaeque vitae accommodavit I. F.

PE. - Me ipsum.
MAR. - Nae, tu rem haud magni pretii attulisti.
PE. - Atqui magni constiti patri meo.
MAR. - Credo pluris quam revendi possis.
PE. - O lepidum caput! Ioannes estne domi?
MAR. - Incertus sum; sed visam.
PE. - Abi igitur,... et roga ipsum, an velit nunc esse domi.
MAR. - Abi tu potius, sisque tibi ipsi Mercurius.
PE. - Heus, Ioannes, num es domi?
IOANNES - Non sum.
PE. - Impudens! Non ego audio te loquenter?
IOAN. - Imo tu impudentior. Nuper ego ancillae tuae credidi te non esse domi, et tu non credis mihi ipsi?
PE. - Aequum dicis. Par pari relatum.
IOAN. - Evidem ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi posthac semper ero.
PE. - Sed tu mihi videre cochleae vitam agere.
IOAN. - Qui sic?
PE. - Quia perpetuo domi latitas, nec usquam prorepis. (Non secus atque claudus sutor, iugiter domi desides — Tu tibi domi situm contrahis).

IOAN. - Est quod agam domi; foris nihil est negoti; et si quid est, tamen hoc caelum me dies aliquot a publico cohibuisse.

PE. - At nunc sudum est et invitat ad deambulandum. Vide, ut blanditur.

IOAN. - Si prodeambulare lubet, non recuso.

PE. - Plane videtur hoc utendum caelo.

IOAN. - Ascendens est unus aut alter congerro.

PE. - Fiet, modo dicas quos velis.

IOAN. - Quid si Hugonem?

PE. - Haud multum est inter Hugonem et nugenem.

IOAN. - Age, placet.

PE. - Quid si Alardum?
IOAN. - Homo minime mutus est. Quod auribus deminutum est, lingua pensat.

PE. - Si videtur, Nicolaum adiungemus.
IOAN. - Si quidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulones; superest, ut locum dispicias amoenum.

PE. - Ego tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smaragdum viorem, nec fontium vivas scatebras desiderabis.

IOAN. - Magnifice polliceris: dicis dignam Musis sedem, quae me pro studiis meis vehementer oblectabit.

PE. - Atqui tu perpetuo affixus es (assides) libris. Immodico studio te ipsum maceras.

IOAN. - Malim studio macrescere quam fame.

PE. - At non ideo vivimus, ut studeamus; sed ideo studemus, ut suaviter vivamus.

IOAN. - Mihi vero vel immori chartis dulce est.

PE. - Evidem immorari probo, immori non probo. Eamus.

ANNALES

Europaeum discrimin

Conventum inter Anglicorum administratorum Praefectum et Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Praesidem, de quo in superiore eventum recensione nostra mentionem fecimus, alter ex adverso sequutus est inter Germaniae Cancellarium et Italicarum rerum supremum administrum, in Germanici exercitus praetorio. Relatum est duos viros quaestiones omnes tum militares tum civiles distincte ac definite perpendisse, quae praesertim ad hodierni discriminis progressionem atque diuturnitatem attinerent, firmamque de-

mum voluntatem suam confirmasse protrahendi belli usque ad victoriam: novum ordinem qui, ex redactis ad irritum Bolshevikarum minis atque immodico pecuniae faenore apud Europeas gentes ab Anglica actitato, oriturus erit, pacificam, congruentem foecundamque sociam operam praestiturum in civili et oeconomica re, in ipsoque populorum omnium Europaeum continens incolentium animorum cultu. Conventus ipse duobus ducibus occasio nem dedit primam exercitum sociorum frontem visitandi, quae frangendo Bolshevikarum copias in dies dilatatur orientem ac meridiem versus, dum Finni victores ad septentriones ita procedunt, ut Careliam integrum nunc iam recipaverint.

Interim Canadensis et Anglica agmina Spitzbergas insulas occupant, iam ab anno MCMXXIV, post suorum iurum abdicacionem a Russia factam, Norvegiae addictas. Ex parte sua Septentrionalis Americae Foederatae Civitates possessiones nanciscuntur insularum aliquot Antillarum Anglicarum marisque Caraibici, ineunteque negotiations cum civitatibus Centralis atque Meridionalis Americae mutationum et conductionum, sub specie defensionis hemisphaerii occidentalis. Usque dum scribimus una Uruguiana Respublica huic actioni adhaesit.

Ex Asia

Asiaticae res quoque superiore mense conspicuae fuere. Dum enim Thailandiam inter et Iaponiam rationes in melius vertuntur, Angli et Americani loca sua munire pergunt; hi immo auxilia Russicis atque Sinensibus Chang-Kai-Scek faventibus suppeditant Iaponiorum despicientia, qui militares provisiones vicissim ex Mandchiucuo instituunt.

Graviora autem in Perside (nunc Iran vocant); ubi hinc Russi, inde Angli illius regionis fines praetergressi, iuxta ferriviam sinum Persicum cum Caspio mari coniun-

bus, qui ad plura decies centena millia hominum bello capti sunt.

Haec acerrimi discriminis praecipuae Octobris mensis vices, dum terra marique caeloque certamina singularia inter Anglos et Italos Germanosque aguntur, non sine innocentium nece ex tormentorum in urbes coniectione.

Sed et Septemtrionalis Americae civitates orbis universi mentes in se converterunt. Eorum enim praeses Roosevelt praedicat necesse esse novas navales bases, prout vulgo dicitur, constituere ad occidentalis hemisphaeri infimos usque Americae populos plane tutandos; deinde a coetibus legibus ferendis rogat ut lex de medio sese inter bellantes gerendo, qua Americanae naves impediuntur quominus certas orbes ut bellicas denuntias ingrediantur, pariterque naves mercatoriae ventantur tormentis bellicis instrui, his exceptionibus eo fine privetur, ut maiora auxilia, eaque etiam expeditiora ferri queant Anglo, Russico ceterisque populis contra Germaniam pugnantibus. Rogationem autem defendit quod certum sit, si Germania superior evaserit, Americae gentes deinde coactum iri ad terram suam suamque libertatem armis vindicandam. Ex hac denique legis dissolutione addit belli denuntiationem minime subsequuturam, quemadmodum minime sequuta est ex rata iam lege mutationum et quaestuum cum Anglia.

POPLOCOLA.

PAROAEIAE SIVE ADAGIA

TALUM A SACRA LINEA MOVERE

A ludo quoipiam tesserarum natum esse videtur adagium. Lusus autem huiusmodi erat, ut utrique ludentium essent calculi quinque, totidem impositi lineis. Inter eas lineas, utrinque quinas, una erat media, quam sacram vocabant; unde qui talum

movisset, is sacrae lineae calculum movere dicebatur. Id vero non fiebat, nisi quum res posceret, ut ludens ad extrema confugeret auxilia.

SIMIA SIMIA EST, ETIAM SI AUREA GESTET INSIGNIA

Admonet fortunae ornamenta non mutare hominis ingenium. — Citatur adagium a Luciano in oratione contra ineruditum, narratque ad rem hunc apogorum: « Rex quidam Aegyptius simias aliquot instituit, ut saltandi rationem perdiscerent. Ut enim nullum animal ad figuram hominis proprius accedit, ita nec aliud humanos actus melius imitatur. Artem itaque saltandi protinus edoctae saltare cooperunt, insignis indutae purpuris, ac personatae. Multo iam tempore maiorem in modum placebat spectaculum, quum e spectatoribus facetus quidam nuces, quam clanculum in sinu gestabat, in medium abiecit. Ibi simiae simul ac nuces vidissent, oblita choreae, id esse cooperunt quod ante fuerant, ac repenti e saltatricibus in simias redierunt, contritisque personis, dilaceratis vestibus pro nucibus inter se depugnabant non sine maximo spectatorum risu.

FUMANTEM NASUM URSI NE TENTAVERIS

Proverbii speciem habet apud Martiam:

Rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
Sic placidus licet, et lambat digitosque manusque
Si dolor et bilis, si iuxta coegerit ira,
Ursus erit, vacua dentes in pelle fatigis.

INTER INCUDEM ET MALLEUM


Tritum est vulgi sermone proverbium de iis qui anxietatibus et ingentibus malis premuntur.

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPOLOGLOTTIS VATICANIS



VARIA

Nulli magistratu tantam potestatem attribui debere, ut consuetis Reipublicae functionibus sistere atque impediri queat.¹

T. Quintus Cincinnatus et C. Iulius Mentus Consules, quum propter exortam inter eos discordiam Reipublicae noverent, nec quicquam eorum expedirent, quae per ipsos fieri oporteret, iamque omnia iura silerent, ceteraque omnia negligenter, Senatus hortabatur eos ad dictatorem creandum, per quem Respublica rursus constitueretur et eorum discordiae modus imponeretur. Sed consules in ceteris rebus omnibus discordes, in hoc uno conveniebant, ne dictator crearetur; ob quam causam Patres, quum aliud remedium non esset, tribunorum opem implorarunt, qui consules ad creandum dictatorem coegerunt. Quo loco rursus apparuit tribunitiae potestatis auxilium, non solum ad patriciorum adversus plebem insolentiam frenandam utile, verum etiam ad compescendam inter optimates ipsos altercationem et ambitionem salutare. Atque hic observare oportet, quod in Republica maxime cavendum est: ne pauci quidam, qui rerum potiuntur, consuetas necessariasque Reipublicae actiones aut sistere aut tollere queant. Itaque si qui praeficiuntur distribuendis honoribus aut conferendis officiis, aut ad aliam aliquam rem expediendam, simul etiam illis necessitas quaedam exsequendi officii est imponenda, aut remedium quoddam constituendum, quo, si negligentes fuerint, cogi possint. Id enim nisi fiat, nequam bene constituta esse potest eius rei administratio; veluti ex eodem hoc

Romanorum exemplo cernere licet, ex quo facile appareat, si tribunorum auxilium consulm discordiae opponi nequivisset, quamplurima Reipublicae negotia neglecta fuisse.

locosa

TUCCIUS in schola.

MAGISTER: — Heus, Tucci. Ubi signatum fuit anno 1870 pacis foedus inter Borussiam et Galliam?

TUCCIUS: — Aedopol! In extrema pagina!

TUCCIUS serus continuo est in schola atque tarditatis culpam tribuit autovehae, qua utitur ob longum a domo sua intervalum. Hodie MAGISTER:

— At curnam praecedenti autoveha non uteris?

TUCCIUS: — Quia dum exeo domo, ea iam pertransiit.

Aenigmata

I

Cum Galataea me iungebat mutuus ignis,
obtrivit saxo dum mea membra Cyclops.
Verte meum nomen. Mucone quid adstat acuto?
Vulnera si vitas, obvius ire cave!

II

Pars bracchi fungor mensurae munere. Tota
mutor, mutatur si mihi litterula.
Herba virens fio, quae cingit fluminis oram
et tremit exiguo flamme mota caput.

III

Delector libris. Vocalem si mihi mutas,
cum ferro fasces ius mihi ferre datur.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore mensis Octobris fasciculo proposita his respondent: 1) Egestas - Segesta; 2) Reus - Dareus.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Ann. XXVIII

Romae, mense Novembri MCMXLI

Fasc. XI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

HISTORICAE NOTAE

Legis XII tabularum brevis expositio De iudiciis (Tab. I-III).

Generalia de iure nulla traduntur: iuris autem nomen sumitur ad significandum tribunal, vel iudicium, vel legem ipsam. Neque ulla distinctio inter ius publicum et ius privatum, licet de utrisque lex XII tabularum iubeat, et licet haec lex praedicetur a Livio « fons omnis publici privatique iuris »; quae tamen non dictamina generalia, sed ad usum decernit praecepta, ut plurimum de iure publico, et eatenus de privato, quatenus Reipublicae intersit.

Ita igitur et de iudiciis et de iure dicendo. Interest Reipublicae ut arceantur vis ac rixae inter privatos et pax foveatur: itaque si quaestio iuris privati inter patres familiarium exorta fuerit, pacifice ante omnia est componenda; quod ni obtineri possit, advocari potest magistratus. « In ius » coram magistratu actor convocat conventum; ad quem eundum illico est, nisi « vindex » pro eo caveat iturum esse stata die.¹ Vocatur autem quisque in ius per « legis actiones », quarum quinque numerantur: I) legis actio sacramenti; II) per iudicis arbitrive postulationem; III) per condictionem; IV) per manus injectionem; V) per

¹ Si in ius vocat, ito; ni it, antestamino.

pignoris capionem. Legis actio sacramenti (vel sacramento) ita fiebat. Actor dicit conventum coram magistratu eumque provocat sacramento certae cuiusdam pecuniae, quae deponitur apud Pontifices. Magistratus nominat iudicem, qui decernat « utrius sacramentum iustum, utrius iniustum esset »; ideoque alterutri sacramentum, scilicet pecuniam sacramenti adiudicat.

Legis actio per iudicis arbitrive postulationem perobscura adhuc est; forte quum causa esset implicitor, arbiter postulabatur, qui omnia hinc inde inspicret, penderet et iudicium ferret.

Legis actio per condictionem simplicior: actor dicit (condicit) convento qua die convenire debeat coram magistratu ad iudicem accipiendo certa de quadam obligatione.

Legis actio per manus injectionem, forte omnium antiquissima, pristinam luctam privatam sapiebat eamque simulabat. Actor renuntiat convento sibi aliquid ab eo deberi, et subdit: « Ob eam rem ego tibi manum iniicio », et aliquam partem corporis eius prehendebat (« igitur, em capito »). Conventus manus potest repellere, si vindex in se iudicii sumat discrimina.

Denique legis actio per pignoris capionem erat quum actor vindicem non requireret, neque reum conventum, sed quidquid eiusdem res esset, et cuius premium saltem premium exaequaret litis, arriperet.

In processu «de re» res litigiosa colloquenda erat coram magistratu («in iure»), aut saltem rei pars, ex. gr. gleba fundi, pili vaccae aut equi: actor festuca tangebat aut manu rem asserens (vindicans) esse suam; conventus iisdem fere verbis suam, ex adverso, esse asserebat (contravindicabat); deinde ambo luctam simulantes in iure manus conserebant: magistratus luctam intercipiebat et iubebat ambas partes dimittere rem (ex. gr. «Mittite ambo hominem»). Actor provocabat: Quando tu iniuria provocavisti, aeris, ex. gr. quinquaginta, sacramento te provoco. — Conventus: Et ego te. — Tunc magistratus precario adjudicat rem alterutri («vindiciam secundum alterum dicit») acceptis cautionibus et nominat iudicem. Exinde lis disceptabatur in iudicio; inde duo veluti litis momenta: in iure coram magistratu; in iudicio coram iudice.

Si reus iniuste renueret in iudicium convenire, ius erat actori eum apprehendere et in vinculis tenere usque ad definitam item.² Sin autem morbo quodam aut vitio aetatis impediretur actor ei praestare debebat iumentum, non currum elegantem et mollem.³

De vindicibus autem cautum erat ut adsiduo (qui res soli possideret) vindex esset adsiduus: proletarius enim quas posset de adsiduo idoneas praestare vindicias? Proletario vero et proletarius cavere potest, eoque magis «adsiduus».

Interea, antequam ad iudicem adeant, partibus fas est privatis pactionibus item componere; quod si id non intercesserit, stata die coram iudice convenientes «ante meridiem» item resument breviter, praesentes. In iure patroni vel advocati non admittuntur; nemo enim alieno nomine agere potest nisi pro populo, pro libertate, pro tutela; sed probabilius «cognitores» in iudicio admittebantur.

² Si calvitur pedemve struit, manum endo tacito.

³ Arceram ne sternito.

Sententia edicitur post meridiem: si alternatum praesens fuerit ei «item addicito», altero in contumaciam damnato; si praesens uterque fuerit et litis disceptatio concludi non potuit ante solis occasum,⁴ resumenda erit ex integro aut successiva aut altera die. Damnatus dabat vades, vel etiam subvades se daturum esse profitebatur, quanti damnatus esset.

Si agatur sacramento, sacramento poena erat aut quinquagenaria aut quingenaria; at «si de libertate hominis controversia erat, ait Gaius (IV, 14), etsi pretiosissimus homo esset, tamen ut quinquaginta assibus sacramento contenderetur, eadem lege cautum est». Sed haec recentiori textui legis XII tabularum irrepsisse dixerim.

Si gravis («sonticus») morbus advenerit alterutri parti aut iudici arbitrove, aut etiam si diem dederis hosti (non civi), periudicandum erit iudicium.⁵ Si vero testes alterutri parti defuerint (quod testari nollent), ea ternis nundinis vagulans circa testis domum, hunc deprecetur et omnibus ad ignominiam denuntiet. Poenae enim aliae adversus testes qui defecerint non erant ullae.

Lis concluditur aut rei confessione aut sententia iudicis. Sententia habet «vim declarativam», non «coactivam»; nam exsequutio sententiae parti victrici relinquitur. Damnato dabatur spatium dierum triginta ut de execuzione sententiae provideret; quibus inutiliter elapsis, victor adhibere impune potest et vim: magistratus edicit quamlibet vim iustum esse; eapropter victor potest damnatum nexui dare, in vincula coniicere, vincitum aut nervo aut compedibus non ultra quindecim pondus multicare, ni quis vindex extiterit. Damnatus potest interea de suo vivere; alias creditor eum alat, praebens cotidie unam

⁴ Si ambo presente s) solis occasus suprema tempestas esto.

⁵ Dies diffissus esto.

saltem farris libram, quantum servis alienis vulgo dabatur. Ius vero erat paciscendi; nisi id fieret per dies sexaginta damnatus habebatur in vinculis dies sexaginta. «Inter eos dies trinis nundinis continuis ad praetorem in comitium producebatur, quantaeque pecuniae iudicatus esset, praedicabatur. Tertiis autem nundinis capite poenas dabat, aut trans Tiberim peregre venum ibat». «Quod si plures essent credidores ac trinis nundinis vendi non potuisse et necaretur, occisum corpus inter eos aequa parte secari ac distribui poterat. Barbara quidem lex; fatendum tamen est nunquam memoriae proditum esse quemquam in casu aut necatum et in partes secatum fuisse.

SYLVIA ROMANI.

HUMANITAS HERDERIANA¹

Humanitas, quamcumque induit formam, a diebus Graeco cultu insignitis ad hanc aetatem tam se praestitit validam, ut vires adiutrices etiam atque etiam ei affluerint. Cuius rei simplex explicatio in varietate huius speciei sita est, quae non solum honestum, sed etiam venustum ac religiosum hominis amplectitur. Scilicet humanitas, prout modo haec modo illa ratio pro moribus temporum eminebat, figuram suam immutavit.

Graeci, qui potissimum rationem elegan-
tiae ac venustatis habebant, pulchritudinem integrae liberaeque humanitatis eo studio eoque rerum successu petiverunt, ut homines recentiorum temporum non raro desideranter mentem ad hanc convenientiam atque consensum eruditio-
nis rettulerint. Sed aliam faciem notio humanitatis accepit apud Stoicos. Recessit enim venu-

⁶ GELL., XX, 1, 46-47.

¹ HERMANN VESTERLING, *Herders Humanitätsprinzip*, Halle, 1890, pag. 3 et 4.

statis momentum, ut duobus aliis prior locus relinqueretur. Ex eo autem, quod morale momentum dominatum tenebat, illud exstitit omnes homines aequitatis iure consociatos esse eamque coniunctionem omnium populorum iustitia et humani generis caritate effici posse. Tamen haec Stoicorum formula nihil nisi cogitatum philosophorum fuit. Nec enim illi scholae, sed christianaë doctrinae contigit, ut societatem humanam secundum illum ordinem vere transformaret.

Duodecim saeculi proprium fuit imaginem humanitatis maiorem in modum repeterere. Passim hoc tam necessario turbidoque tempore pro humanae naturae dignitate pugnatum est et iura humana undique conquisita sunt. Humanitas exstitit signum temporis.

Tum autem Ioannes Godofredus Herderius fidum se patronum praestitit omnium studiorum, quae hoc in genere agebantur. Ipse, cuius sensus totus morali stabat fundamento, ut germanus apostolus humanitatis omnes similes voluntates saeculi repre-
praesentavit. Longum est vitam scriptoris illius, qui apud Germanos habet classi-
cus, singillatim pertractare. Breviter solum vitae cursum perstringemus.

Herderius anno 1744 in orientali Borussia natus Regimontii theologiae philosophiaeque studuit. Quibus rebus confectis ab anno 1764 ad 1769 Rigae munere magistri et contionatoris functus est et eo tempore prima pignora studiorum litteratorum in publicum emisit. Muneris dimissionem nactus iter in Francogalliam fecit, unde in Germaniam reversus anno 1770 Lessingum tum Hamburgii versantem con-
venit, quocum ex illo tempore amicitia coniunctus erat. Eodem anno Argentorati, ubi medicum ob fistulam lacrimatorium dextri oculi consultaverat, iuvenem Goetheum cognovit, cuius interventu sex annis post effectum est, ut ipse a duce Carolo Augusto Vimariam arcesseretur et ad di-

gnitatem « generalis superintendentis » promoveretur. Hoc autem tempus non modo variis ac saepe molestis officiis, sed etiam honoribus et necessitudinibus amicitiae uberrimum fuit. Tum scripsit omnia illa opera exquisita, quibus gloria eius fundata est. Supremi tamen aetatis anni gravibus corporis calamitatibus et discordia cum Goetheio interim orta magnas ei attulerunt acerbitates. Anno 1803 Vimariae supremum iter carpsit.

Sed optimum, quod in medullis ac visceribus eius haerebat, in illas centum viginti quattuor epistulas ad promovendam humanitatem conscriptas iniecit, quae inter annos 1793 et 1797 ad lucem prodierunt. Quo ex opere sententiis denso ea quae sequuntur exempla nobis videntur digna, quae legentibus proferantur:

I. « Numquid ullus populus, praesertim si rudis est, carius quiddam habet quam sermonem patrum suorum? In eo habitat tota eius sententiarum ubertas, quae ad famam, ad historiam, ad religionem, ad vitae rationes pertinet, id est omnis eius animus ac mens. Tali populo sermonem adimere aut detrectare, id est solam ei et immortalem possessionem auferre, quae a parentibus ad liberos transit ».²

II. « Optimus alicuius populi cultus non efficitur cito; aliena lingua exprimi non potest; pulcherrimus, ut ita dicam, solus adolescit in proprio solo nationis, eo sermone, qui a maioribus traditus posteris traditur ».³

III. « Divinum quiddam generi nostro insitum est informatio ad humanitatem; omnes magni bonique homines, legum auctores, inventores, philosophi, poëtae, artifices, quilibet homo in ordine suo praeclarus in liberis educandis, in officiis observandis exemplo et opera et instituto et doctrina ad illam contulit. Humanitas est

thesaurus et fructus omnium humanorum studiorum, quasi ars generis nostri. Informatio ad eam est negotium, quod perpetuo persequendum est, aut, sive summi sive infimi sumus, in pecudum ritum, in feritatem recidimus ».⁴

IV. « Multa Horatii carmina, magis etiam sermones eius et quae vocantur satirae descriptiones lepidae sunt generis humani; omnes saltem circuitione quadam id agunt, ut rudi vitae formae afferant lineamenta et sententias moresque illorum hominum et ordinum ad normam veri et boni et decori et pulchri dirigant. Persius, Iuvenalis, Lucanus ceterique suo quisque modo illudunt; sed praecipue Vergilius, ubicumque potest, tenera nota humanae caritatis carmina sua insignit ».⁵

V. « Qui natione sua inflatus est, qui ortum ac nobilitatem suam iactat, eum omnium superborum hominum stultissimum existimo.

Quid est natio? Est magnus incolitusque hortus herbarum utilium steriliumque plenus. Quis est, qui huic loco, ubi stultitia et vitium, praestantia et virtus consociantur, sine discrimine studeat ac pro eo cum ceteris nationibus in certamen descendat? Quantum possumus, ad honorem conferamus nationis; eam etiam, quandcumque afficitur iniuria, defendere debemus; sed eam dedita opera praedicare vanam sui laudem puto.

Ut Solimanus, Turcorum imperator, ita nos gaudebimus tam multiplices flores ac populos esse in vario prato humi atque cis Alpes et trans Alpes tam diversos florere flores, tam multiplices maturescere fructus. Gaudebimus, quod magna mater rerum, tempus, nunc haec nunc illa dona ex cornu suo copiae iacit et paulatim genus humanum undique pertractat. Namque necessitas mentis ac naturae videtur esse, quoniam ordo temporum semper mutatur, om-

² Ex epist. 10. B. Suphan, HERDERI *Opera omnia*, vol. 17, pag. 58. Berolini, 1881.

³ Ex epist. 10. Suphan, vol. 17, pag. 59.

⁴ Ex epist. 27. Suphan, vol. 17, pag. 138.

⁵ Ex epist. 30. Suphan, vol. 17, pag. 149.

nia ex humana natura elici, quae ex ea elici possunt. Ergo temporis decursu res contrarias in lucem prodire oportet, quae tandem in concordiam abeunt.

Hoc natura insitum esse appareat, ut quemadmodum homo sic etiam genus ergo etiam populus ab alio et cum alio discat neque discendo desistat, dum omnes gravem perceperunt disciplinam nullum terrae populum unicum a Deo electum esse, veritatem ab omnibus quaerendam hortumque communis salutis ab omnibus subigendum esse; magnum Minervae velamen omnes populi suo quisque loco sine detimento, sine superba discordia texere debent.

Quare nullus populus Europae se a ceteris segregare stulteque dicere debet: « Omnis in me, in me solo inest sapientia ». Mens enim humana perinde ac magna mundi anima est; omnia compleat vasa, quae eam excipere possunt; animans atque de integro constituens ex omnibus in omnia corpora invadit ».⁶

VI. « Investigatio veri undique libera solum est remedium fidei vanae errorisque, cuiuscumque modi sunt. Patimini eum, qui opinatur, opinionem falsam eumque, qui dissentit, sententiam suam defendere; eorum hoc est. Si uterque non corrigitur, at certe incorrupto animo ex quovis repugnato errore nascitur nova causa, nova vera sententia. Utinam ne credas veritatem vecordia quasi armata capi aut etiam aeternis vinculis teneri posse! Nam spiritus est et paene corpore carens in animos permanat ».⁷

VII. « Si malignum fatum ita ferat, ut terrae Europenses, id quod bonus genius gentis humanae prohibeat, rursus in barbariam demergantur, nos quidem, qui summa in voragine versamur, nomina et scripta eorum, qui humanitati quondam inserviebant, eo sanctius observabimus. Tum enim

nobis residua rerum perditarum, vestigia sacrorum deletorum erunt ».⁸

VIII. « Qui eadem lingua educatus est, qui cor suum in eam infundere animumque per eam exprimere didicit, is est eius populi, qui hac lingua utitur.

Per linguam enim natio educatur et informatur; per linguam populus disciplinae honestatisque amans, oboediens, bene moratus, communis, clarus, industrius, potensque fit. Qui linguam nationis suae despicit, praeclarissimum eius auditorium dedecrat. Sed qui linguam populi sustinet et ita excolit, ut quemlibet sensum et quamvis perspicuum egregiamque cogitationem gravissime reddat, is adiuvat, ut amplissimum et pulcherrimum auditorium diffundatur, aut in se coniungat ac solidius fundetur.

Sine communi sermone vernaculo patrioque, quo velut surculi unius arboris omnes ordines educantur, nulla vera est animorum concordia, nulla eruditio patriae communis, nullus intimus concentus consenserit, nullum auditorium domesticum. Vox Dei, si vox est patriae, communibus propositis omnia complectentibus et subtillissimis nisi sermone patriae sonare non potest; hic animum ingeniumque omnium classium nationis ab adolescentia tetigisse debet ».⁹

(Ad proximum numerum).

HANS LIS

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

De verbo « agere »

Quaedam verba apud Latinos sunt multi prae ceteris usus, ut adferre, accipere, dare, facere, esse, et nonnulla alia, in quibus « agere » numerari recte potest: vix enim credas quam varie usurpetur. Varie-

⁶ Ex epist. 42. Suphan, vol. 17, pagg. 211 et 212.

⁷ Ex epist. 46. Suphan, vol. 17, pag. 233.

⁸ Ex epist. 51. Suphan, vol. 17, pag. 249.

⁹ Ex epist. 57. Suphan, vol. 17, pagg. 287 ad 289.

tatem in ordine demonstrare nobis in animo est.

Atque iam ut incipiam, et ad expositionem veniam, duo verba sunt, agere scilicet et facere, quae in multis ita similia videntur, ut quae quam maxime. Terentius tamen Varro ea inter se aliquantum differre dicit, nempe ut «agere» de iis tantum rebus, quae materia carent dicatur; «agere» vero de iis, quae materia constant. Nobis vero videtur «facere» ad immaterialia quoque recte accommodari, praesertim ad ea, ad quae «agere» non admittitur; ex. gr.: facere iniuriam, facere gratum, pergratum; et in ceteris casibus. Est autem «agere» idem quod moliri, gerere, traducere, exsequi; quae significata mirum est in quot locutiones diffundantur.

At quo facilius eae pateant, breviter huius verbi usum sic distinguamus, ut locutiones per accusativum elatae primum proponantur; subiiciantur deinde quae praepositiones admittunt; postremo quae, praeter haec, ornatum quemdam praecipuum habent.

Accusativi usus in hoc verbo eiusmodi est; ut dicamur agere corporea, vel incorporea. Corporea agimus, ut asinum, aut pecus aliud quodvis; atque tunc agere significat «ductare». Ita Cicero *de Orat.* II: Asellum agas.

Latius patent, magisque varia sunt incorporeorum exempla ex hoc verbo, quam corporeorum. Ex qua varietate eliciemus, quae magis hic pertinent; deinde minus pertinentia cumulabimus. Nec quisquam in sequentibus exemplis calumnietur, si passivas locutiones cum elatis per accusativum iungamus, quandoquidem in accusativum resolvi possunt:

Cicero in *Familiaribus*: Ego id semper egi, ne bellis interessesem.

Ibidem: Hic quae aguntur, quaeque acta sint, ea te litteris multorum cognoscere arbitror.

Ibidem: Quod quum ab illo diligenter

esset actum, ego in castra ad septimum Calend. Septembbris veni.

Ibidem: Quam vellem Romae mansisses: quod egisses profecto, si etc.

Idem ad Quintum fratrem: Ego ista per quem agam non habeo: nam confici nisi per hominem peritum non possunt.

Idem ad Atticum: Dominatio quae sita ab utroque est; non id actum, beata civitas ut esset.

Ibidem: Ego non iam id ago, ut prosperos exitus consequar.

Idem pro *Roscio Amerino*: Aliud agitur nihil, nisi ut, etc.

Idem pro *Murena*: Id, mihi crede, et agunt et moluntur.

Idem pro *Domo sua*: Nonne id agendum nobis fuit, ut materiam subtraheremus furori tuo?

Idem in *Philippic.*: Quod agendum et faciendum est non recuso.

Idem de *Oratore*: Sic omnia, quae fiunt quaque aguntur acerrime, natura praeteuit.

Ibidem: Non nunc id agimus, ut explicemus, etc.

Idem in *Officiis*: Qui tunc, quum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.

Idem in *Tusc.*: Quid necesse est, quum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, vitam etiam efficere deplorando miseriorem?

Idem de *Natura Deor.*: Mihi qui nihil agit esse omnino non videtur.

Idem in *Familiar.*: Itaque facio me alias agere, ne convitium Platonis audiam.

Idem de *Orat.*: Vides, inquit Antonius, quum alias res agamus, quam te inviti audiamus.

Proverbiale autem illud est: «Actum agere» a iudiciorum consuetudine sumptum, qua fas non est iterum agere causam, de qua iam sit pronunciatum; et significat: «Incassum laborare»:

Cicero ad *Atticum*: Acta ne agamus, re-

liqua paremus. — Et ad eumdem iterum: Acta ne agas.

Idem de *Amicitia*: Praeposteris utimur consiliis et acta agimus, quae vetantur veteri proverbio.

Terentius in *Phormione*: Ohe, actum ne agas!

Exempla huc minus pertinent, quae de rebus agendis, vel de negotium proferre quidem possemus, itemque quae sunt de causa agenda. Non magis quoque conveniunt quae sequuntur:

Cicero: Ego has artes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: id est ego semper lenis et misericors fui.

Idem: In quibus oppidis praetores consistere et conventum agere solent.

Idem: Quum tibi prope necesse esset eas agere partes... (i. e. «sequi eorum partes»).

Praestat denique nonnulla afferre exempla in quibus «agere» cum vocabulo «vita»: atque «aetas» aptatur.

Cum «vita»:

Cicero, *Famil.*, VI: Adiuvat me aetas, et acta iam vita: quae cum cursu suo bene confecto delectatur, tum vetat in eo vim timere, quo nos iam natura ipsa pene perduxerit.

Idem ante *Exil.*: Non obest mihi turpis et nocens, sed honestissime laudatissime que acta vita.

Idem in *Philippic.*: Vita honestissime sanctissimeque acta.

Idem in *Bruto*: Scauri libri sunt de vita ipsius acta.

Idem in *Offic.*: Homo solitarius, atque in agro vitam agens.

Idem de *finibus*: Vitam in solitudine egit.

Idem de *Divinat.*: Quo cruciatu animi putas eum vitam acturum fuisse?

Cum «aestate»:

Cicero ad *Atticum*: Mihi quidem aetas acta ferme est.

Idem pro *Quint.*: Prope acta iam aetas decursaque.



Idem in *Brut.*: Moleste tulit, se non effugere hospitis speciem, quum aetatem ageret Athenis.

Idem de *Senect.*: Honeste acta superior aetas.

Idem in *Tuscul.*: Nudi aetatem agunt. (Ad proximum numerum).

FORFEX.

Selecta ex bibliothecis et archivis

CHOCOLATA¹

*Et bibis, et laudas, et sunt laudanda, fatemur,
Quae in cyathis fumant, optima vina tuis.*

*Illa vel Hetruscus palmes, collisve Faliscus,
Illa tibi peperit Partenopaeus ager.*

*Sed nova, sed melior nunc altera potio nobis,
Posthume, porrigitur, nec pretiosa minus.*

*Haec ad delicias, nostrique ad gaudia gustus
Venit ab occiduis usque petita plagis.*

*Ut patuit primum coepit Chocolata vocari,
Et simili semper nomine gaudet adhuc.*

*Nunc ubi nascatur, quid sit, qua beat art
Componi, paucis exposuisse iuvat.*

*Est regio antiqui tribus addita partibus Orbis,
Ingenio nobis nota, Columbe, tuo.*

*In geminos extensa polos nunc Indica tellus
Dicitur, in multis non inamoena locis.*

*Sunt ibi planities, sunt flumina plura lacusque;
Vis iuga, vis colles cernere? Cuncta vides.*

*Surgit ibi fruges, liceat dixisse Cacaum,
Vox nova, quam Latii non habuere senes.*

*Crescit verna seges, medio siliquat in aestu,
Moxque sub indigenis jalcibus ista cadit.*

Excute nunc siliquas, et grana cadentia subtus

Implebunt cophinos terque, quaterque tuos.

¹ In miscellaneis quibusdam Romanae bibliothecae Casanatensis lepidum carmen hoc inveni, ann. 1722 in Urbe ab Antonio de Rubeis impressum una cum poëmatio ita inscripto: «Pulvis Nicotianus, vulgo Tabacco ad Leodovicum Sofidium acclamatum Cleogenes Naxius P. A.». Nota manu scripta deinde habet: «idest Io. Franciscus Wlpius»; quod nomen pariter manu scriptum iteratur post titulum huius carminis de chocolata. Quis vero fuerit Ioannes Franciscus Wlpius sive Ulpius designare non valui: inveni enim plures huius cognominis scriptores saec. XVIII, nullum vero qui Io. Francisci nomini responderet. Poëmatii de pulvere Nicotiano alias specimen dabo. - I. F.

Subice mox prunas, totumque in lance legumen
Perdere corticeam discat ab igne cutim.
Nucleus exibit, qui depurandus ab omni
Furfure, non renuat plurima cribra pati.
Nec maceratrici, donec redigantur in offam,
Te piceat nucleus exagitare manu.
Talis arundinei fiat commissio mellis,
Ut massae pondus conduplicare queat.
Cinnama non desint, et quas Vainilia spicas
Gignit odoriferas, pulibus adde tuis;
Adde, sed ignitas nimium, nimiumque potentes,
Addere, qua deceat sobrietate scias.
Totaque pastillum, si sit revoluta trecentis
Atque iterum vicibus, sic tibi massa dabit.
Hinc lateres fiant, seu liba minuscula, planos,
Et modicae molis, compositura globos.
O felix, semperque mihi laudanda supellex,
Quae puto repleat, Posthume, digna tuos.
Scrinia non illi, non otia longa nocebunt,
Quo fuerit senior, sic placet illa magis.
Addere non modicum pretii, multumque saporis
Longa dies illi, duritiemque solet.
Pandite iam famuli postes, repleantur, Amicis
Plurima, si veniant, pocula danda meis.
Eia agite: assiduo infusam qui continet undam,
Stanneus en vobis fervet in igne lebes.
Coesa minutatim per vos chocolatica dosis
In fervescentes proiiciatur aquas.
Unica pro cyatho non sufficit unica: triplex
Sufficit, in geminos dimidianda scyphos.
Quot calices implere libet, tot in igne trientes
Contineat cacabus subsilientis aquae.
Ferveat ad tempus, mox dimoveatur ab igne,
Ne subeat nimium, prosiliatque latex.
Nec mora, iamque operi datur manus ultima
O nimiae dignum sedulitatis opus! [nistro:
Nunc vos Aoniae, dulcissima turba, Camoenae,
Vos date carminibus dulcia verba meis.
Non ego belligeras acies, non spicula dexterae
Vana cupidineae, sed meliora cano.
Annuit en votis Pindi gens inclita nostris,
Nostra Caballino iam Chelis imbre madet.
Caetera non dicam, facilique doceberis arte,
Qua sit complendus dexteritate labor.
Sit tibi prae manibus gracili de robore stipes,
Levis ab artifici factus utrinque manu.
Surgat in excelsum capulus; pars infima ligni
Desinat in teretem denticulata molam.
Truditur in cucumae ventrem, capulique super-
In gyrum partes utraque palma trahit. [nas

Totus ab intrusae quatitur vertigine molis,
Totus et in spumas cogitur ire liquor.
Eia age, ne cesses; nullum est magis utile tem-
Nunc age, nunc ictus ictibus adde novos. [pus;
Adde flagellata repetita volumina lymphis,
Nullaque sit cacabo, sit tibi nulla quies.
Mox bene spumantis primordia divide potus
In varios calices, auxiliante mola.
Sint duo, sint plures; eadem non copia semper
Sufficiat; numerum gens bibitura dabit.
Utere fictilibus vasis, quae plura per undas
Nauta Saonensi multas ab urbe trahit.
Plurima et invenies, non omnibus apta crumenis
Ex Iaponensi nobiliora luto.
Ad primos iterum redeat manus utraque motus,
Spumiferumque levet pixis, ut ante, caput.
Dumque returgens iterum succrescit, eosdem
Demissa in cyathos spuma secunda fluat.
Ingere mox alias, donec iam gutture pleno
Turgidus extollat cornua quisque calix.
Ecce redundantis, tremulaque cacumina spu-
Iam maiora scyphis, iam satis apta bibi. [mae
Pocula (quid statis?) iam circumferre, suumque
Vos, famuli, ex sociis unicuique date.
Ipse meum teneo, sorbillatimque bibenti
Mexiacae glandis iam mihi multa placent.
Bina pitissantis mihi iam confinia labri.
Spumeus aspergit, non sine labe liquor.
Plusque propinando plus gaudet ad oscula vasi
Et quater, et decies nostra redire sitis.
Exhilarat fauces, hilarique in pectore surgit
Multus ab infusa sorbitione vigor.
Temperat una sitim, contemperat una famemque
Amphora, si bibitur, potus et esca simul.
Parvula sic dantur ieiuno prandia ventri,
Sed ieiunanti nil nocitura gulæ.
Et quia guttatum bibitur, non pauca vicissim
De pace, aut bello murmura quisque movet.
Alter, in Hungaricos forsan redditura colonos
Pallidus Odrysii militis arma timet.
Commemorant alii Moschos, et forte datus
Sarmaticis ducibus bella cruenta duces.
Sunt alii, quos plura iuvat de pace per omnes
Europæ populos proximiore loqui.
Castalias alter, qui sit bene visus ad undas,
Commendat vates Alphesiboe tuos;
Ac inter pateras miscent quoque carmina Musae,
Mexiaco potu nil placitura minus.
Posthume, felicis sunt haec nova pocula mannae,
Quae stomaci saturant, ingenique famem.

COLLOQUIA LATINA

Invitatio ad nuptias¹

MICHAEL, DEMETRIUS

MICHAEL - Quid fit? Quid agitur, Demetri?

DEMETRIUS - Szedetur.

MICH. - Video. Sed quomodo se res habent tuae?

DEM. - Ut solent iis, quibus Superi sunt parum propiti.

MICH. - Istuc ominis avertat Deus. Quid agis?

DEM. - Evidem otium ago (Id quod vides; nimur nihil).

MICH. - Contra fortassis occupatum se-
riis negotiis interpollo (Fortassis impedio
[interrumpo, interturbo] negotia tua). Da
veniam si te parum in tempore interpellavi.DEM. - Imo ipso in tempore advenis
(Opportune te huc attulisti — Optatus ades
— Interventus tuus est mihi vehementer
gratus): iam enim me ceperat otii taedium
et congerronem desiderabam. Itaque lupus,
quod aiunt, ades in fabula, eoque magis
quod cum uxore de te paucis abhinc mo-
mentis sermo erat.MICH. - Facile crediderim; nam mihi
huc venienti mire tinniebat auris.

DEM. - Utra?

MICH. - Laeva. Unde coniicio, nihil ma-
gnifice de me fuisse praedicatum.

DEM. - Imo nihil non honorificum.

MICH. - Vanum igitur fuerit oportet. Sed
quid est bonae rei?

DEM. - Aiunt te venatorem esse factum.

MICH. - Numne etiam intra casses meos
esse praedam, quam venabar?

DEM. - Scilicet?...

MICH. - Puellam, quam perendie ductu-
rus sum: veni quidem rogatum vos, ut
meas nuptias vestra praesentia dignemini
honestare.¹ Ex ERASMO recognovit, deprompsit hodiernaeque
vitae libere aptavit I. F.

DEM. - Et quaenam est sponsa?

MICH. - Aloisia, Ludovici communis
amicu filia.DEM. - Egregium hercle! selectum fe-
cisti. Virgo est enim nobilis (generosa),
optimis moribus instructa, casta ac vere-
cunda neque tamen suavitate ac lepore ca-
rens, et, quod etiam non flocci ponendum,
insigni venustate et corporis pulchritudine
(facie concinna et venusta — mira spe-
cie — forma excellens — eximia pulchri-
tudine — ante alia specie ac pulchritudine
insignis — forma praedita praestanti —
inter multa alia decora formae commenda-
tionem habet praecipuam). Gratulor itaque
vehementer tibi (maxima gratulatione tec-
cum vehementer utor), certus ex vestro
coniugio vitae cursum faustum, felicem,
fortunatumque vobis futurum.

MICH. - Deo adiuvante fiat!

ANNALES

Europaeum discrimen

Victricia Germanorum eorumque socio-
rum arma in Russia cotidie progrediuntur,
iamque ad meridiem, Odessa urbe ac Ta-
phros isthmo (nunc Perekop russica voce
vulgo nuncupato) expugnatis, Chersonesum
Tauricam invasere, dum Moscoviam et Pe-
tropolim, novum vetusque Russiae caput,
in centro atque septentriones versus stricta
obsidione cingunt. Non iniuria Hitlerus
apud suos dixit ab Oceano Glaciali Artico
ad Ponticum mare Finicos, Italos, Hun-
garos, Rumenos, Slovacos, Liburnos, Hi-
spanos, Belgas, Batavos, Danos, Norvegos
atque Gallos ipsos copias suas constituisse
contra Bolshevikorum conatus, qui terram
suam immensam armorum officinam fece-
rant, quibus Europæ humanitatem fundi-
tus delerent atque occiderent. Arma vero in
eos ipsos convertuntur, scilicet in hostium
manus cadunt, una cum arma tractanti-

PAG.

— Quum de rebus dubiis disserimus, tutissimum esse si statim de ea ipsa agatur, in qua totius controversiae cardo vertitur. - Id. fasc. IV.	
— Quantum agri distribuere solerent Romani singulis Colonis. - Id. fasc. V.	
— De exterarum gentium invasionibus. - Id. fasc. VI, VII, VIII, IX.	
— Tardas de publica re consultationes esse vitandas. - Id. fasc. X.	
— Nulli magistratui tantam potestatem attribui debere, ut consuetis Reipublicae functionibus sistere atque impediri queat. - Id. fasc. XI.	
— Iustum accusandi ratiouem Reipublicae salutarem esse. - Id. fasc. XII (Cfr. etiam Varia).	
Liber a pittaciis responsa	106
Libri dono accepti	24
Librorum recensio	24
Litterae et Philologia	
De mysteriorum doctrina apud Horatium (B. Fronzaroni)	3
De latini sermonis notis singularibus (I. Jss.):	
— De coniunctione « ut » reticita	7
— De vocibus adverbiorum more usurpatis	7
— De duplice negatione	17
— De interrogatione absque voce interrogativa	17
— De particula « quidem »	31
— De ordine chronologico	32
— De quibusdam vocibus omittendis	39
— De quibusdam permutationibus faciendis	54
— De consecutione temporum	69
— Participium eleganter disiunctum a verbo	78
— De numeralibus distributivis	78
— De verbis quibus inest notio superlativi	88
— De loco possessivi	88
— De numero verbi cum nominativis diversae personae	88
— Participium perfectum cum « habeo »	103
Latinæ adnotatiunculae: De verbo « agere » (<i>Forfex</i>)	111, 125
De vocibus peregrinis ex graeco in latinum inductis (H. Lis)	8
Mathias Casimirus Sarbiewski (H. Lis)	65, 79
Humanitas Herderiana (H. Lis)	109, 122
(Cfr. etiam Varia).	

PAG.

Medicae notae
(Cfr. **Selecta ex bibliothecis et archivis**).

Paroemiae sive adagia

Ab asino lanam. - In II operculi pagina fasc. II.
Dare veniam corvis et censuram columbis.
- Id. fasc. III.
Sequitur ver hiemem. - Ibid.
Naulum perdere. - Id. fasc. V.
Sus comessatur. - Ibid.

Non omnes qui habent citharam sunt ci-	
tharoedi	106
Talum a sacra linea movere	116
Simia simia est, etiam si aurea gestet insignia	116
Fumantem nasum ursi ne tentaveris	116
Inter incudem et malleum	116
Ultra catalogum	128
Sine penis haud facile est volare	128
Ignem gladio ne fodito	128
Cibum in matellam ne immittas	128
Duabus anchoris fultus	128
Pitana sum	128

Selecta ex bibliothecis et archivis

Anatomica humani corporis synopsis (I. Lan-

cisi) 12, 22, 34, 46, 60, 70
(Cfr. quoque **Carmina: Chocolata**)

Sententiae 6, 18, 42, 51, 57, 67, 96, 99

Vacui temporis hora

Pro iudicibus mensarum elegantibus esca-

rum ordo. - In II operculi pag. fasc. I.

Iocosa (I. F.) - Id. fasc. I, II, III, IV, V, VI, VII,
VIII-IX, X, XI, XII

Aenigmata (F. Palata) - Id. fasc. I, II, III, IV, V,
VI, VII, VIII-IX, X, XI, XII

Varia

De festo Epiphaniae Domini (X) 5
Discipulis suis magistri verba ineuntem an-

num faustum fortunatumque precantis
(A. De Pol) 32

Mater Caeciliae (A. Guercio) 37

De epistolarum d'ribitorii memoriae (X) 44

De pueris et adolescentulis educandis, in-

stituendis (H. D.) 49


Collectiones et Collectores (P. d. V.) 58

De festo Corporis Christi (A. Carboni) 68

Aestivae peregrinationes: Sublacum (H. P.) 90, 101

De catholicis missionalibus (A. Carboni) 98

De sacra nocte Iesu natali (X) 120



VARIA

Iustam accusandi rationem Reipublicae salutarem esse.¹

Quamvis Furii Camilli virtus, post liberatam a Gallorum obsidione urbem, apud cives Romanos ita innotuisset, ut ceterorum nemo esset, qui illi honorem quovis loco deferendum esse non existimaret, Manlius Capitolinus tamen hunc honorem illi atque gloriam magnopere invidebat, putabatque se conservato Capitolio aequa bene, atque Camillus, de republica meritum, neque etiam virtute bellica illo esse inferiorem. Ea invidia commotus ergo, quum apud patres illum in invidiam vocare non posset, ad plebem sese convertit, et apud eam de Camillo ceterisque patribus varia conqueri coepit: inter cetera autem asserebat, aurum, quod civitas contribuisset, ut a Gallis sese redimeret, Gallis rursum ademptum apud primores patrum conservari; quod quidem si recuperaretur, sufficere ad liberandam aere alieno plebem. Hisce verbis fides a multitudine populi habebatur, augebaturque Manlii existimatio, ut ad illum iam concursus fieret, libe- reque per urbem tumultuari inciperet. Quibus rebus quum patres vehementer commoti essent, ac suspicarentur ne quid inde gravius oriretur, creato Dictatori mandant, ut cognita ex causa, Manlii impetum coerceret. Dictator, viatore ad Manlium missio, illi diem dicit: comparuit ille ad tribunal ingenti plebis agmine comitante. Quum convenissent, Senatusque Dictatorem, Plebs Manlium ut ducem suum in comitio intuerentur, Dictator silentio facto, ex Manlio quaesivit apud quem ex patribus thesaurus ille custodiretur, Senatum enim, aequa atque Plebem, id cognoscere velle. Ad id vero, quum Manlius nihil certi re-

sponderet, sed subterfugia quaerendo assereret, non esse opus ut ea quae ipse sciret publica aperiret, a Dictatore in vincula duci iussus est. Quo loco satis cernere licet quam perniciose sint in Rebuspublicis calumniae, ad quas evitandas tollendasque nullo labore parcer oportet. Evitantur autem calumniae commodissime, si liberum sit unumquemque accusare; nam ut libera accusandi ratio Reipublicae prodest, ita innocent calumniae.

locosa

TUCCIUS in schola.
Postquam Magister electricam pilam explicavit, Tuccium interrogat:

— Euge, Tucci, auditionem resume. Quis orbi universo hanc pilam detexit?

TUCCIUS - Alexander Volta.

— Bene. Et quomodo detexit?

— Papae! Operculum abducens!

TUCCIUS Patri:

— Aselli marini suntne pisces?

— Sunt quidem.

— Aeculae quoque et aringi?

— Certe.

— Nunc causam intellego, qua mare tam salsum est!

Aenigmata

I

Sum neutrum? Fortes me gestant Martis alumni.
Femineum sibi vult me genus asserere?
Cernis anum coram, quae divinare futura
assoleat et magicis artibus invigilat.

II

Centum me faciunt drachmae. Si preferar a te
plurali numero, nil nisi terror ero.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore mensis Novembris fasciculo proposita his respondent:

1) *Acis - Sica;* 2) *Ulna - Ulva;* 3) *Lector - Lictor.*

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade* T. Livii latine vertit E. BINDI.

Ann. XXVIII

Romae, mense Decembri MCMXLI

Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad Iosephum FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

DE FARFENSI IMPERIALI COENOBOIO

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARIIS NOSTRI HUMANISSIMIS natalicia quae imminent festa et novum annum fausta atque felicia ex animo ominamur.

Proposita nostra de anno MCMXLI in proximo Ianuarii mensis fasciculo proferemus; hodie tantum praeuniantamus, vel in difficillimis, quae vivimus, temporibus, nos ita res compostiuros, ut subnotationis premium immutatum relinquatur, scilicet libell. 15 pro Italia, libell. Italic. 30 pro exteris gentibus.

Interim iterum iterumque eos socios rogamus, qui decidentis huius (sunt autem et superioris) anni premium consociationis nondum solverunt, ut ulteriore moram tandem interrumptant. Neve quis ex exteris gentibus in excusationem adducat, nullam debiti sui explendi, scilicet mittendi pecuniam, facultatem in hodiernis rerum adiunctis se habere. Non semel enim monuimus apud non unam civitatem exceptionem nullam adhuc esse factam per publicum cursum vel per syngraphas apud nummarias mensas exigendas pecuniam transferendi; praetere « Institutum permutationum cum exteris gentibus » vigere, per quod, a Germanicis sociis praesertim, consociationis premium nobis solutum est; itemque Romae exstare universi orbis collegia, quae pariter, ex civium suorum mandato, premium ipsum nobis satisfacerunt.

Quibus positis, de illis qui officium suum nobiscum contractum nondum expleverunt concludendum esset, id eos desidiose, ne dicamus ex voluntate, fecisse; quod de fidelibus atque humanissimis sociis nostris ne cogitare quidem volimus.

ALMA ROMA.

Clarum illud atque celebre Farfense Coenobium non immerito imperiale appellatum, Mediae nostre aetatis temporibus praesertim atque in tam multiplice variaque rerum humanarum fortuna, quasi praeclarae lucis sidus fulget, quasi pharus inter italicas vicissitudines splendet non minus equidem aperte; quam Cluniacense quod Francos, quam Fuldense quod Germanos honestaverunt.

Ad Acutiani montis radices, qui quadrangularium noveni et octoginta mensurarum libram cum maris aequore complet, in reatina provincia, Farfense hoc Coenobium aedificatum est illudque nomen a Farfaro flumine, quod subiacentem planitem abluit, mutuatum est; montibusque circumseditibus veluti in immenso amphitheatro concluditur; mons Pizzutus atque Tancia, quibus nominibus distinguuntur, ad millesimam et octingentesimam mensuram ad surgunt et ex cacumine eorum opimae valles Tiberina atque Nariensis patent.

In Acutiano monte romanarum structurarum vestigia nobilissima inveniuntur, nunc oblita atque derelicta, pastorum tantum pecudumque refugium.

Cuiusdam peregrini Sacerdotis adventu, cui nomen erat Laurentius, paganorum cultus deletus est atque loco fani deae Vacu-

nae dicati novum sacellum a Sancto Michaële Archangelo nuncupatum, exstitit. Narratur enim fabula quaedam de Laurentio, cui a regione unde venerat, Syro additum est cognomen. Draco quidam in farfensi agro pestem afferebat hominibus atque pecudibus exitium minitans; tum Laurentius precibus enixa monstrum fugavit. Ei in auxilium venit Sanctus Michaël Archangelus, qui contra nequitiam diaboli christifidelibus semper praesidium dedit, eique Laurentius sacellum aedificavit. Quod sacellum in cacumine Acutiani montis brevi corruit; quum vero refectum fuit, Beato Martino Turonensi Episcopo dicatum est. Nunc tandem pene omnia corruerunt.

DE SABINIS

Ante Romam conditam, planities illa pinguis et affluens, quae ex collibus multa olea nigrescentibus patet, Coresi fluminis vitrea unda abluta, sedes priscorum Sabinorum fuit. Deum Sabonem patrem et auctorem gentis Sabini venerabantur gentisque gloria fuit agros colere et armenta pascere. Eis nulla belli cupiditas, sed post mulieribus a Romanis illatam iniuriam, ipsi quoque arma capere, copias romanas profligare, tandem pacem conciliare novumque populum constituere.

Apud Sacellum Sanctae Mariae de Arce in pago Corese Terra, urbs Cures, sabinarum urbium mater et caput fuerunt, a quodam Modio Fabio exstructa, qui Fabius ab Erialo deo et nobili quadam Sabina virginis genitus fuerat. Festus Curibus urbi auctoritatemque summam concedit; Strabo, praeterea, Cures claram urbem; Dionysius, magnam et opulentam Sabinorumque caput appellant. Contra nascentem Romam, inde Titus Tatius cum exercitu profectus, Sabinarum iniuriam vindicavit. Cures Regi Numae ortum dederunt, sed temporum lapsu Cures deciderunt atque Augusto imperante ad vicum deductae fue-

runt. Tandem Totila Rex eas prorsus depopulatus, e medio sustulit.

AMOENAE FARFARUS UNDAE

(OVIDIUS, *Metam.*, XIV, 351).

Farfarus flumen a quo vallis, Abbatia, Coenobium, Sanctuarium B. M. Virginis nomen ceperunt, sacrum frigidumque caput ex cuniculo quodam (*le Câpore*) infra Sabinos montes ducit, ubi scatebrae nonnullae e lapide prosilientes vitreum lacum efformant ad radices ipsas collis, ubi vicus Frasso exsurgit; postea vero, lymphae in unum collectae atque e naturali cursu detortae per cuniculum ad decem passuum millia effossum sub turri, vulgo *Baccelli*, praecepiti lapsu centum trium et sexaginta passum in vallem decidunt, unde mirabilis electrica officina vim et lucem per totam regionem effundit. Inde aquae per saltum angustum inter montes coactum, incredibili impetu evadunt, et priusquam Tiberim attingant, novo atque mirabili opere non humanis, sed tantum naturae viribus elaboratum et effossum, scilicet, sub ponte, nostra aetate *Sfondato* appellato, per amoenos ambitus, agros refrigerant. Pons ipse iter amplum glarea constratum offert, per quod et homines et pecudes commode transire possunt.

Pictoribus atque poëtis non alter angulus hoc melius arrisit, nec immerito illud Ovidii Nasonis accepimus:

Amoenae Farfarus undae.

BEATUS LAURENTIUS SYRUS

Saeculo quinto ineunte, peregrinus quidam Arianorum persecutionem effugiens e Syria ad farfenses oras appulit una cum sorore Susanna fidelibusque comitibus Isaacio et Ioanne. Ei nomen erat Laurentio.

Vallis haec amoenitate albanis collibus non secunda, et Romanis et advenis nota fuit, insignesque nobis existant reliquiae, quae opulentam Patriciorum vitam ostendunt. Nomina quaedam revocantes nos non

lateat vicum *Montopoli* e monte Pollionis esse deductum, vicumque *Mompeo* e monte Pompei. Quoddam fragmentum cocti lateris nunc sub portico Monasterii parieti aptatum, refert impressum: *Caesaris Germanici*. Quid sibi vult? Sine dubio, Germanico illi a Tiberio interempto fornacem laterariam fuisse, quae, nostris tantum diebus extincta, eo tempore ab ipso Germanico emuncta fuit.

Post romani imperii labefactatam fortunam, et sacra per Evangelicam praedicationem innovata, ipsum Vacunae templum, in loco ubi hodie Farfense Coenobium erigitur, neque a Christianis, neque a paucis paganis frequentatum, corruit, ibique Laurentius sibi suisque sedem statuit. Quum ad limina se contulisset, ab ipsa Apostolica sede ei provincia data est Umbros Sabinosque expurgandi, reliquias omnes idolatriae de populo evelendi. Id apostolica nuntiata brevi confecit; postea vero, pacis amator, infra Spoletanos montes delituit, quoad a populo et a clero revocatus, Episcopali munere factus est. Sed Sabinorum gens, quae Laurentium plum ac sapientem cognoverat, noluit eum Episcopum negligere, atque obtinuit ut iterum in Sabinos reverteretur. Apostolico zelo flagrans, in Acutiano, Basilicam Virginis aedificavit, Monasterium non longe ab ea constituit, ubi pie vixit et pie diem supremum obiit.

Huius Monasterii fama longe lateque percrebuit, divites plurimi insignibus beneficiis illud ditarunt, adulescentes ut doctrinam, aetate provecti ut pacem acquirerent eo configerunt, ita ut sexto saeculo post Christum natum uberes exinde sapientiae atque pietatis fructus manarent.

Virginis imago, quam adhuc fideles venerantur, ab ipso Laurentio translata fertur eique nobile templum dicatum est.

BEATUS THOMAS A MORIENNA

Longobardorum rapinis ac devastationibus Coenobium et Sacellum a Laurentio

fundata prorsus eversa fuerunt, nec restituendi omnia ulla spes aderat, quum Beattissima Virgo, cui ea restitutio cordi erat, Thomam fidelem servum sibi elegit, eumque ita compellavit: «Serve bone, cur tanto in moerore versaris? Si Mahometi asseclae hic Hyerosolimis te tuosque angunt, recede, pulverem e calceis absterge et in locum veni, quem monstravero tibi».

Thomas hic, e natali urbe Morienna in Allobrogibus, Hierosolymam profectus cum sociis nonnullis, ad Sanctum Christi Sepulcrum iter confecerat ibique pie, monachorum more, aevum agebat. Sed a Mahometanis vexatus, illacrimans, enixe Beatam Virginem orabat, ut sibi adasset, sibi suisque salutis viam ostenderet.

Virginis adloquio recreatus, Thomas ab ea quaesivit, ut sibi viam ostenderet, quam pollicitus est illico se ingressurum. Benigne annuit Virgo, ita referunt, eumque iussit in Italianam reverti, Sabinos quaerere, montem Acutianum prope Farfarum flumen ascendere, ut in illo loco ubi tres ingentes cupressos exsurgentibus vidisset, sibi sanctuarium a Longobardis eversum iterum excitaret. Thomas, cum suis consilio habito, in Italianam reversus est; quum vero Sabinos montes inspexisset, Acutianum eumque tribus cupressis ornatum quaequivit. Priusquam Hierosolymam relinqueret, Virgo eum ingenti ac candido pane donavit, ut in fortitudine cibi illius, fortiter adversa pateretur et apostolico zelo flagraret.

Quum ad torrentem, monte praecipi de volutum, Rianam pervenisset de itinere fessus, iam cogitabat per Allobrogos iter pergere et ad suos reverti. Sub umbra patulae fagi antea sanctum sacrificium celebravit, comitesque adlocutus mentem suam de itinere in Allobrogos patefecit. Deinde quum socii ab incolis de quo ederent ultra citraque peterent, ipse somno correptus, humi se stravit. Tunc suavi ore Virgo ei apparens ita locuta est: «Hic locus est,

quem tibi ostendi; hic siste; hic optime manebis. In Acutianum oculos leva, ibique tres praefatas cupressos inspicias. Ibi bonus miles esto laborans et coronaberis, ego semper tecum et cum tuis comitibus manebo». Somno excitatus, Thomas in Acutiano tres cupressos inspexit easque gaudens comitibus ostendit, edicens hunc esse locum a Virgine designatum, ibique sedem captivos. Ita templum a Longobardis erutum Thomae opere ac labore iterum exsurrexit iterumque monachorum precibus sonuit.

Sed in illa silvestri atque inhospitali rege magna erat difficultas rei frumentariae inveniendae; qua de causa monachi Thomam dictis carpebant cupidi alio proficisciendi. Sed Beata Virgo, ita fertur, auxilium dedit prorsus incredibile.

Pharoaldus, Spoletanus Dux, omnia paraverat, ut Romam proficiseretur, et cum prima luce equum ascendere statuerat. In vigilia noctis, Beata Virgo ei apparuit iussitque non Romam, sed Acutianum versus eum proficisci. Dicto obediens, Pharoaldus cum suo exercitu omni re instructo, iter ostensem initit ac brevi ad Acutiani radices pervenit. Monachi vero quum talem multitudinem venientem inspexissent, trepidi, coenobii portas firmaverunt; sed de Pharoaldi voluntate certiores facti, cum Abbe et cum omni familia, portas aperuerunt magnoque gaudio hospites acceperunt.

Pharoaldus cum Thoma firmam amicitiam contraxit, qui saepe eum Spoletum usque arcessivit eiusque consilio usus, multa bene egit monasteriumque praediis possessionibusque ditavit.

Thomae studio et navitate, coenobium farfense dignitate ac divitiis auctus est. Silva circumstans veribus septa, passim caesa, frumento, vino et oleae sedem cessit. Itinera patuerunt, multique advenae vitam monasticam quaerentes in farfensi coenobio se occultaverunt.

Pontifices et Principes, fama permoti, bona attribuerunt ei, quae longe lateque

patuerunt, ita ut foederatae reipublicae formam praestaret.

Thomas in coenobio tertio Idus decembres anno septingentesimo et vigesimo, vita functus occubuit.

(Ad proximum numerum).

ALEXANDER AURELI.

DE SACRA NOCTE IESU NATALI¹

Christi Domini natalem Sanctus Matthaeus paucis enarrat: at S. Lucas fusius describit et singillatim adiuncta tradit. «Factum est autem quum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret (Maria). Et peperit filium suum primogenitum et pannis eum involvit (έσπαργάνωσεν) et reclinavit eum in praesepio».

Diem itaque et horam Evangelista non scribit; illud unum docet, paulo post Iosephi Mariaeque adventum, Iesum Bethlehem editum. Sed de anni tempore, de mense, de die, de hora diei quamvis ne verbum quidem tradiderit, ea omnia distincte traditio fidelis Ecclesiae custodivit: hieme Jesus natus est, mense Decembri, die vige-simaquinta, hora noctis media. Hac enim die, hac hora ab immemorabili nativitate Domini celebratur. Διαταγαι των ἀγίων ἀποστόλων,² quarum antiquitas secundum aut tertium saltem attingit saeculum, primum ea docent, quibuscum concordes audimus S. Hyppolytum Portuensem, S. Iohannem Chrysosthomum, S. Augustinum, qui vera atque legitima enarrata admittunt, quae proinde aut ipsa Deipara aut quidam ex Apostolis docuit, eoque magis quod tertio Ecclesiae saeculo Augustalis descriptionis Iesu nascente peractae adhuc in tabulariis documenta cuiilibet perlegenda superessent.

¹ Cir. CHAUVIN, *La sacra infanzia del Cristo*. (Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc.).

² Cfr. V, 13.

Sunt vero qui credunt, ut Wieselerius,³ non Decembri mense labente, sed Ianuario ineunte Christum esse natum: idque, insolitum licet videatur, nullius tamen admirationem excitat. Romanis enim atque Hebraeis non eadem erat ratio anni computandi, hiemaleque solstitium, quod Romani Decembri mense scribebant, Ianuario contra mense illi obsignabant. Hos itaque Orientis populi sequuntur, dum Occidentales Romanam computationem tenemus.

Nec tamen defuere scriptores qui crederent Iesum hieme nasci nequivisse, quum Bethlehemitici pastores tam rigido tempore pasci in apertum per noctem haud consuescerent.⁴ Falsum tamen; quamquam enim elatus Bethlehem situs conspicitur, valles quae circum sunt ubertate multa atque miti temperie fruuntur; ita ut urbi nomen datum sit «domus panis».

Circa nativitatis horam, Lucas indirecte adnotat, quum narrat pastores φυλακὰς τῆς νυκτὸς tunc agere. Operiebant igitur tenebrae terram quum Iesus venit: «Mystice factum est, — animadvertit Tertullianus — ut Christus nocte nasceretur lux veritatis futurus ignorantiae tenebris». Sed in libro *Sapientiae* melius hora describitur: noctem sanctam medio in curriculo esse, quum Verbum in terram descendit.⁵

Traditio autem sequitur narrans animantia duo, bovem et asinum, Iesu ad stabulum adfuisse. Antiquissimae murales picturae in coemeteriis ad Christum natum bellugas exhibent, nec si aliquando absunt parentes Ioseph et Maria, unquam iumenta desiderantur. Ecclesiae Patres multi rem confirmant scriptis: Hieronymus, Chrysologus, Paulinus, Prudentius, Nazianzenus, Origenes; Ecclesia itaque in sacra nocte concinit: «O magnum mysterium et admirabile sacramentum ut animalia viderent Dominum Iesum in praesepio!»

³ Chronologische Synopse der Evangelien.

⁴ Cir. CUMMING, *Sabbath evening Readings on St. Luke*.

⁵ Sap., XVIII, 14.

Ceterum bovem stabulo adfuisse haud profecto videtur insolitum; asinum vero facile argui potest illum fuisse, cui Virgo Mater in itinere insedit; ita plane intelligitur traditio suavis et pia. Sed ea forte adiuncta Isaias praenunciaverat inquiens: «Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non cognovit»; quamvis non de Nativitate Christi, sed de populi sui coecitate propheta potius loqueretur. Neque dissimile sonat illud Abacuc: ἐν μέσῳ δύο ξώων γνωσθήση, scil: «In medio animantium cognosceris», quum verba haec male ex Hebraico textu lecta fuerint; ubi, iuxta «Vulgatam» intelligi debeat: «In medio annorum notum facies (opus tuum)».

Pastores autem circum erant advigilantes, quos angeli advocarunt ad specum, ubi invenerunt Infantem. Quot vero fuerint pastores et quomodo vocarentur non silent pariter piae traditiones. Sunt qui quatuor eos fuisse scripserint, eorumque nomina tradiderint Misael, Acheel, Stephanum, Cyriacum; illa Hebraica, haec autem Graeca. Neque id mirum, quum ipsis in Apostolorum actis celeberrimus inscribatur vir Hierosolymitanus nomine Στέφανος: sunt vero et Patres qui tres tantum ποιμένας adfuisse asserant.

Eos in regione sparsim advigilare Lucas scribit, turrisque, Sancti Hieronymi aetate, etiamtum supererat prope Bethlehem, cui nomen erat *Migdal Eder* (quod «turris ex grege» sonat) quam circum ferebantur pastores illi felicissimi consedisse. Quos imo ex oppido satis urbi propinquo oriundos traditio dixit, quos hodie Arabes *Beit Sahour* vocant. Eas per valles David rex, Iesse filius, adolescentulus greges et ipse ea in loca perduxerat, ubi tunc beati illi viri advigilabant φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς.

Tertia autem vix inita vigilia, patuerunt

⁶ ISAIAS, I, 3.

caeli et caelstis spiritus advolavit, ut eos diceret natum in terris Dominum et locum indigitaret et invitaret ad visitandum. Tuncque agmen aligerum summa laetitia concinit hymnum: « Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis ».

Pastores itaque ad Bethlehem properarunt, natum viderunt, et... dona ne obtulerunt? Traditio id quoque affirmat, asserens Agno qui e caelis in terram descendebat ad peccata mundi tollenda, eos lanam ac lac ovium suarum donasse.

Hisce explicuit mysteris nox illa inter omnes beatissima, quumque illucesceret dies et redirent ad mapalia sua pastores, oriens sol novus enatum hominum redemptorem visitavit.

X.

CARMINA NATALITIA

Ad praesepe Christi

*Puellus ille qui sopore languido
sinu Parentis acquiescit anxiae,
tenella membra vincente fascia,
ait praetere saeculis volucribus
Deique mente prodiisse Filius
sibi loquentis, editus simillima
figura Patris, ipsisque lumine
nitens, potentia atque par scientia.*

*Egenus atque ut omnium novissimus
specu sub horrido ex Parente Virgine
modo est renatus omnibus salutifer,
Adae vetusti ut ablutus piaculum
polique pandat alta regna filiis.*

*Per arcta quisquis ingemiscis, improbis
malis adactus, angerisque taedio,
fer huc gradum genuque prome supplice.
Deo, haud pati sub aegra membra nescio,
acerba sensa queis gravaris intime.
Levamen Ipse protinus doloribus
feret, tibique saeva cordis ulcera
manu benignus illinet tenellula.*

Ad Iesum puerum

*Forte tua aspiciens cunabula, Pupule dulcis,
obstupui captus luce repente nova.*

*Quid facerem? laetus prope te vestigia pressi
oraque me iuvit cara videre tua.
Cincinni aureoli, depicta labella corallo,
lilia mixta rosis quis mieuere genae,
lucidulique magis quam caeli sidera ocelli
ah, cunctos animos attonuere meos.
Protinus ecce tuo volitavit pectore telum
atque meum dius cor penetravit amor.*

HIRPINUS.

HUMANITAS HERDERIANA¹

IX. « Quod nos primo recreat in patria, non est terra, in quam cadimus, sed spiritus quem trahimus, manus paternae, quibus tollimur, mamma materna, quae nos lactat, sol a nobis visus, fratres sororesque, qui buscum ludimus, animique benigni, qui bene nobis faciunt. Prima igitur patria nostra est domus paterna, campus patris, familia. In hac parva societate propria et prima gaudia patriae tamquam in circulo iucunditatis sunt; suavitatibus circumfusa terra nostrae primae adulescentiae vivit vigetque. Qualiscumque humus temperiesque caeli est, animus eo redire desiderat et, quo minus parva societas, in qua educabamur, civitas fuit, quo minus ordines et hominum classes in ea se disiunxerint, eo minus cogitatio redditum in gremium huius patriae cupere prohibetur. Illic sane primas amoris voces audivimus et didicimus; illuc primum amicitiae foedus coniunximus et germina tenerae libidinis in utroque sexu sensimus; solem vidimus et lunam et caelum et ver cum arboribus; floribus, fructibusque tum nobis eo dulcioribus. Cursus rerum ante nos fluit; vidimus, ut anni tempora voverentur; cum periculis, dolore, gaudio pugnavimus; quibus in rebus humanis quasi aetate hiemeque nos assuefecimus. Eae impressiones, et morales et

naturales, in cogitatione insculptae manent. Tenera cortice arboris exceptae sunt et, nisi per vim extinguuntur, cum illa tantummodo morientur ». ¹⁰

X. « Ne per imaginem loquamur, bonum est populo et gloriosum praeciaros maiores, aetatem grandem, clarosque deos patriae habere, quoad ab illis ad egregia facta excitatur et ad sensus praeciaros inspiratur, quoad vetus disciplina et institutio populo iusta est. Quodsi ab hoc ipso illuditur, vestitaste obsolevit aut perverse adhibetur. Suae patriae sic acclamat Horatius:

*Quamvis Pontica pinus,
silvae filia nobilis,
iactes et genus et nomen inutile
nil pictis timidus navita puppibus
fidit.* ¹¹

Gloria otiose occupata et a maioribus nostris hereditate segniter relicta nos mox inanis ac nostris maioribus indignos faciet. Qui se natura fortis esse, nobilem, probumque opinatur, is talem se praestare facile oblivisci potest. Ad palmam eniti cessat, quam a proavis iam possidere putat. Sed non id quod patria quondam fuit, sed id quod nunc est, magni aestimare ac diligere possumus ». ¹²

XI. « Hymnis per christianitatem introductis veteres illi psalmi Hebrei subfuerunt, qui si non carminum, certe tamen precationum loco perbrevi tempore in ecclesiam inducebantur. Ipsi conditori christianitatis verba ex psalmorum libro exempla solacio fuerant; psalmorum igitur libro, cum in eo vox et singulorum et totius populi tam sincere, tam valde ac suaviter sonaret, apostoli et patres ecclesiae iure atque ob eius popularitatem maximas egerunt laudes. Namque nulla est querimonia, nullus dolor, nulla miseria atque etiam nulla spes, nullum solacium, nulla laetitia, quae in eo non exprimatur.

¹⁰ Ex epist. 57. Suphan, vol. 17, pagg. 312 et 313.

¹¹ Carm., I, 14, 11-15.

¹² Ex epist. 57. Suphan, vol. 17, pagg. 314 et 315.

Hi veteres psalmi per duo milia annorum saepe ac varie conversi et imitatione expressi sunt; tamen propter eorum modum amplum et locupletem etiam aliqua nova conformatio fieri potest. Flores sunt, qui pro temporibus ac pro solo se mutant semperque integra aetate sunt. Ob id ipsum, quod hic liber simplicissimas voces lyricas habet ad sensus admodum varios exprimendos, per omnia tempora est liber carminum ». ¹³

XII. « Nihil magis polluit sanctum artis poeticae fontem quam studium civilium partium; id Musam reddit mendacem, studiosam, exaggerantem efficitque, ut praesenti temporis momento, cui adhaerescit, quasi aeternitatem tribuat. Filia caeli, si rebus se publicis permittit, stulta et ambitiosa criminatrix et alumna terrae fit. Proinde auferamus ex Musarum regione publica consilia! exsecrata esto quaevis Musa insaniens, quae rebus publicis inservit! Immo fides, morum integritas, probitas, simplicitasque nostrae sunt Castalides! Cetera omnia sunt stultitiae caducae. Quae omnes poetae canunt, quo inviti tendunt, quae eis maxime procedunt, quae apud legentes et audientes maximam habent vim, ea omnia exprimunt nationis ingenium, etiamsi hoc ut statua in mole marmorea iaceat indolatum. Haec est ratio, pura humanitas, simplicitas, fides, veritasque. Bene igitur nobis evenit, quod is sensus moralis nobis accidit, quod id ingenium quasi a sermone nostro separari non potest, quin etiam quod nihil nobis succedit, si ab illo egredimur ». ¹⁴

XIII. « Nulli nationi vitio debemus vertere, quod suos praeter omnes alios poetas diligit eosque alienis permutare non vult; eius quidem sunt poetae. Eius sermone cogitaverunt, eius rerum imagines videbunt; senserunt necessitates nationis, in

¹³ Ex epist. 82. Suphan, vol. 18, pagg. 13 et 14, Bero linii, 1883.

¹⁴ Ex epist. 106. Suphan, vol. 18, pagg. 133 et 134.



qua educati sunt, eisque auxilio venerunt. Cur igitur cum illis non sentiat natio, quoniam uno vinculo sermonis, cogitationum, necessitatum, sensuumque firmiter inter se annexuntur?

Itali, Francogalli, Britanni suos poëtas, saepe iniusta contemptione aliorum populorum, ambitione magni aestimant; Germanus solus eo deductus est, ut meritum alienorum populorum imprimis Britannorum et Francogallorum immane exaggeraret, quo sibi ipse decesset. Hoc autem Germanis semper vituperationem incertae segnitiae afferet, quod purissimi poëtae eorum linguae in scholis et omnino in educanda iuventute tantopere obliuione obruantur et postponuntur, quantopere nulla natio finitima facit. Quanam ratione nostrum iudicium, nostrum scribendi genus excolatur, qua via sermo noster definiatur et ad regulam dirigatur nisi per optimos nostrae nationis scriptores? Quare vero studium rei publicae et amorem patriae nostrae nanciscamus nisi lingua eius, nisi praeclarissimis cogitationis ac sensibus, quae per eam exprimuntur, quae ut thesaurus ibi collocata sunt?

Sed nulla nostrae nationis caritas nos impedit, quominus passim bonum agnoscamus, quod solum magno temporum ac populorum cursu procedens effici poterat. Imperator ille Turcicus multis gavisus est religionibus, quibus Deus diverso modo in eius imperio colebatur; cui videbatur multiplices flores in pulchro varioque campo herboso florere. Idem pertinet ad poësim populorum ac temporum in nostro terrarum orbe; fuit enim omni tempore atque in omni sermone comprehensio vitiorum ac virtutum uniuscuiusque nationis, speculum eius sensuum, significatioque summarum rerum, quas ipsa petivit».¹⁵

XIV. «Universa hominum ratio aequitasque illa est matrona, quae brachio oleum et medicamentum, quae manu gerit fru-

¹⁵ Ex epist. 107. Suphan, vol. 18, pagg. 136 et 137.

ctuosum calatum non solum pro symbolis, sed pro remedii, quae tacite valent si non ad pacem aeternam, certe tamen ad lentam bellorum deminutionem.

Bellum, si non est coacta defensio sui, sed amens in placidam nationem finitimatam impetus, est inhumanum et peius quam belunum coeptum, cum non modo natio, quae invaditur, caede ac vastatione innocentier appetatur, sed etiam natio, quae illud gerit, aequo immerito ac terribilem in modum devoveatur. Numquid superiori cuidam naturae aspectus detestabilior esse potest quam duo exercitus hominum contra se astantes, qui non offensi caedes interesse faciunt?».¹⁶

XV. «Rei publicae studium magis magisque scoria purgari ac defaecari utique opus est. Quaelibet natio sentire debet se non in ceterarum oculis, non in ore posteritatis, sed solum in se, in se ipsa magnam, pulchram, nobilem, divitem, bene compositam, actuosam, felicemque fieri; tum aliena et sera existimatio ut umbra corpus eam sequetur. Ridiculum autem et contemptu dignum fieri oportet indigenas ob res externas, quas neque neverunt neque intellegunt, quas nihil mutare possunt quaeque nihil ad eos attinent, discordes inter se fieri, in odium sibi venire, se urgere, sibi esse invidiae, sibique maledicere».¹⁷

XVI. «Simulatque una natio superbia et avaritia permota id spectat, ut ceteris omnibus mare praecudat ventumque auferat, quo magis augescit perspicientia, quae inter populos intercedat ratio, effici non potest, quin omnium nationum obiratio in dominatricem liberrimae naturae, in raptricem maximi cuiusque lucri, in arrogantem dominam omnium thesaurorum terraeque fructuum exardescat».¹⁸

XVII. «Beatitudo populi alieno et cuivis

¹⁶ Ex epist. 119. Suphan, vol. 18, pag. 268.

¹⁷ Ex epist. 119. Suphan, vol. 18, pagg. 270 et 271.

¹⁸ Ex epist. 119. Suphan, vol. 18, pag. 272.

alieno neque inculcari, neque persuaderi, neque iniungi potest. Rosa enim ad coronam libertatis apta propriis manibus carpenda est et ex propriis necessitatibus, ex propria libidine laeta enasci debet. Optima quam dicunt rerum publicarum rectio, quam nondum repartam esse miserum est, profecto non omnibus populis uno tempore eodemque modo utilis est; alienus populus nonne iugo peregrinae maleque introductae libertatis vehementissime oneratur?».¹⁹

XVIII. «Nihil magni bonique in terris factum est sine animi ardore; qui eo furere habebantur, humano generi utilissima praestiterunt munera. In omni derisu, in qualibet insectatione atque contemptione pervicerunt; etsi non ad exitum pervenerunt, tamen processerunt et promoverunt. Venti fuerunt vivi super vetusta palude, quam aut coercerunt aut fertilem fecerunt».²⁰

XIX. «Christiana religio integerrimam humanitatem via purissima imperat. Ipsa est humana et omni homini perspicua, sumissa est ac non ad sua iura superbe intenta; ne ut lex quidem, sed quasi nuntius laetus ad omnium beatitudinem allatus imperat et adhibet ignoscentem patientiam et caritatem actuosam malumque bono superantem. Haec autem non ut rem ad investigationem aptam praecipit, sed humano generi tamquam lumen et vitam offert per exemplum et amanter factum, per communionem perpetuam. Omnibus gentis humanae classibus ordinibusque inservit, donec apud omnes cuncta contraria suo tempore ipsa exarescant deciduntque. Sane abusus doctrinae christiana innumerabilium in mundo malorum fuit causa; id ipsum autem argumento est, quid rectus eius usus proficiat».²¹

Vratislaviae,

HANS LIS

¹⁹ Ex epist. 121. Suphan, vol. 18, pag. 283.

²⁰ Ex epist. 121. Suphan, vol. 18, pag. 285.

²¹ Ex epist. 124 Suphan, vol. 18, pag. 301.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

De verbo «agere»¹

Sed ad alias verbi «agere» constructiones progrediamur: diversas enim addmittit, easque cum praepositionibus *ad*, *apud*, *in*, *inter*, *per*, *de*, *cum*, *ex*:

Cicero *ad Atticum*: Eodem tempore aget Praetor ad populum.

Caesar: Alter agere omnia ad praescriptum; alter libere ad summam rerum consulere debet.

Cicero: Huius ipsa tempora duo sunt, si aut memoriae diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis vel longitudo orationis; aut frequentatis firmamentis orationis et breviter expositis, vim est habitura causa maiorem.

Sallustius: Tum Marius apud primos agebat (id est: primatibus acceptus erat).

Cicero *in Verrem*: Non tu hoc loco Gavium, non unum hominem nescio quem civem Romanum, sed communem libertatis et civitatis causam in illum cruciatum et crucem egisti (id est: sustulisti).

Idem: Egisset lege in haereditatem paternam.

Terentius: Itaque una inter nos agere aetatem liceat.

Idem: Date potestatem mihi, statariam agere ut liceat per silentium.

Cicero *ad Atticum*: De re tua vehementer egi.

Ibidem: Veni igitur, et age de pace.

Idem *in Officiis*: In quibus aut de capite eorum agatur, aut fama.

Ex praepositione *cum* et verbo «agere» manant quaedam exempla alia aliis ornatiiora. Vulgaria igitur ab ornatiioribus distinguamus. Vulgaria exempla:

Cicero *ad Quintum fratrem*: Non hortatione, neque praecepsis, sed precibus tecum fraternis ago.

¹ Cfr. fasc. sup.

Idem ad Atticum: Cum illo de eadem re egri saepius.

Ibidem: Cum hoc Pomponius egit, et vehementer egit quum diceret...

Idem in Philipp.: Facillimum est bene agere cum iis, a quibus etiam tacentibus flagitari videamur.

Idem: Quod ad popularem rationem attinet, id videtur consequiti, ne quid agi cum populo aut salvis auscipiis, aut salvis legibus possit.

Idem: Cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit.

Idem: Quum saepe mecum egisses, ut de amicitia aliquid scriberem...

Sallustius: Ne quis postea ad Senatum referat, neve cum populo agat.

Caesar: Nulla lex promulgata, non cum populo agi coeptum, nulla secessio facta.

«Cum populo agere» in his exemplis nihil aliud est, quam «habere comitia».

Ornatorum exemplorum sequentium alia in bonam partem sonant, alia vero in malam. In bonam partem sonantia per «praecclare, bene, vel optime» efferuntur; vel per contrarium, quod est «non pessime»:

Cicero (*Familiar. IV*): Agitur nobiscum praecclare, si nosmet ipsos regere possimus.

Idem (Familiar. V): Optime actum cum eo videtur esse, qui quam levissima poena ab hac Republica discesserit.

Idem (in Verrem): Quis hoc non perspicit, praecclare nobiscum actum iri?

Ibidem: Haec conditio fuit aratorum, ut secum praecclare agi putarent, si vacuos agros Apronio tradere liceret.

Idem (pro Sestio): Praecclare cum iis agimus, quos pacatos esse patimur.

Idem (de Amicitia): Cum illo quis negat actum esse praeclare?

Ibidem: Cum illo quidem actum optime est: mecum autem incommodius.

Idem (Familiar. IV): Hisce temporibus non pessime cum iis est actum, quibus sine

dolore licitum est mortem cum vita commutare.

In malam partem:

Cicero (*in Verr. V*): Primo dominus ignarus incommodi sui gaudeat villicoque delectetur, quod tanto sibi plus mercedis ex fundo refertum sit; deinde quum audierit eas res, quibus fundi fructus et cultura continetur, amotas et venditas, summo supplicio villicum afficiat, et secum male actum putet.

Ibidem: Quum istum Populus Romanus senserit maximos quaestus praedasque fecisse, intelliget secum actum esse pessime: ipsum autem maximo supplicio dignum existimat.

Idem (Phil. XIV): Haec interposui. Patres Conscripti, non tam ut pro me dixerim (male enim mecum ageretur, si parum vobis essem sine defensione purgatus), quam ut quosdam nimis iejuno animo et angusto monerem.

Cum praepositione *ex*:

Cicero (*pro Quintio*): Sponsionem facere maluit, fecit, te iudicem Cai Aquili sumpsit, *ex* sponso egit.

Idem (pro Cecinna): Quid agat mecum *ex iure civili* ac *praetorio* non habet.

Idem (pro Murena): Pergitis ne vos, tamquam *ex syngrapha*, agere cum populo?

Idem (in Officiis): Nihil *ex insidiis* agendum putant.

Ibidem: In quibus *ex fide bona* agitur.

Nonnullae denique sunt, praeter superiores, *ex «agere» locutiones*, quas etiam adnotare iuvat. Non omnes tamen suis exemplis hic fulciemus, ut «furti vel iniuriarum agere», «gratias, vel grates agere», «animam agere», «diem festum vel natalem agere», «impensam agere», «spumas in ore agere», «vigilias, triumphum, pacem agere». Alia persequemur; primum autem est quum «agere» ablativum habet sine ulla praepositione:

Cicero (*in Familiar.*): Pluribus verbis tecum agam.

Ibidem: De pantheris per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter.

Idem (ad Quint. fr.): Charta etiam dentata res agetur.

Idem (de Orat.): Alter plus lege agendo petebat, quam quantum lex permittebat.

Ibidem: Agerent tecum lege primum Pythagorei omnes.

Aliud est loquendi genus ex hoc verbo non minus ornatum et elegans, quum dicimus alicuius rem, famam, dignitatem, gloriam, vitam, salutem vel caput agi; id est in discrimine versari, vel turpitudinis pericolo.

Cicero (*pro lege Manilia*): Agitur salus sociorum; aguntur certissima Populi Romani vectigalia: aguntur bona multorum civium.

Idem (in Philipp.): Libertas agitur Populi Romani.

Idem (de Orat.): Agitur non solum ingenii nostri existimatio.

Idem: Fortunas agi eius municipii intelligis.

Praeter haec, ad rei desperationem aliquando accommodatur:

Terentius: Actum est, si quidem haec vera praedicat.

Supra haec quoque omnia dicunt Latini certo et proprio loquendi modo fabulam, comoediā vel tragediā agi; quin etiam aliquando nomen ipsius fabulae, comoediae vel tragediae exprimunt, et Herculem furentem, vel Medeā agi dicunt pro tragedia, quae de Hercule furente vel Medeā est. Cicero imo quum in *Famil. VII* ait: Ut quando Medeā agere coepi, intelligebat: Postquam supra Medeāe mentionem feci.

Adnotandum denique est Latinis frequens esse et crebrum «actum habere» pro approbare, comprobare, vel ratum habere Ita Cicero (*Tuscul. III*): Ego sum is qui dicam me non laborare: actum habitum quod egerint.

FORFEX.

ANNALES

Europaeum discrimen

Die xxv mensis Novembris Berolinum convenere legati earum nationum, quae anno MCXMXVI foedus ferierant contra «Communistas» illos, qui a Russica Bolshevikarum factione internecciva principia extitalemque actionem suam in omnium gentium universitatem proferre sibi proposuerant. Adverant Italorum, Germanorum et Iaponiorum, qui auctores foederis fuerant, procuratores; aderant Hispanicae, Hungaricae et Manduciensi civitatis, quae subinde eidem astipulatae sunt, et Bulgarorum, Danorum, Finnorum, Liburnorum, Rumenorum, Slovacorum, qui sese aliis nunc adiungere voluerunt, ut Nanchinensis Sinensium Respublica, quae adhaesione telegraphice addidit suam. Foedus ad annos quinque renovatum est, data a singulis fide non solum communis operis ad rem conferendae, sed, quum dies venturus erit, sese invicem consulendi de rationibus adhibendis ad societatem ulterius firmandam.

Interim in Russia acerrime pugnatur: Petropolis et Moscoviae obsessio arctior in dies fit, atque latior regionum occupatio, ubi maxime bellicorum instrumentorum fabricae aut receptacula, vel commeatus perceptiones existent.

Pugnatur vehementer et in Africa, in Marmarica praesertim regione, in quam magnis copiis tum ex patria, tum ex dominiis, quae dicuntur, collectis, Angli novum impetum instituerunt, cui a pluribus iam diebus Itali cum Germanicis sociis strenue obsistunt. Impedire tamen Itali non potuerunt quominus, post operam fortium virorum aliquot per mensis editam, milites in praesidium oppidi Gondar positi, consumptis omnino et exhaustis munitionibus cibisque, in hostium, numero ad decuplum superiorum, ditionem venerint.

Funera

— Algeria aéronavi profectus, ut post expletum officium quoddam muneris sui in patriam rediret, ex inopina re, cuius causa ignoratur, velivolo incenso, in terram cum comitibus in Galica terra decidens, miseram mortem oppetiit Huntzinger, Germanicarum copiarum dux, bellicae rei praepositus.

— Sancti Iacobi in urbe fato concessit Aguirre Cerdá, Chilensis civitatis Praeses anno MCMXXXVIII renuntiatus. Insanabilis morbo affectus, superiore mense a munere sese abdicaverat. Ex civitatis constitutione ei successit Hieronymus Mendez, qui alterius a Praeside officio fungebatur.

POPLICOLA.

PAROAEIAE SIVE ADAGIA**ULTRA CATALOGUM**

De vita dicitur; nempe ultra catalogum vivere dicitur, qui multum aetatis vixit, ut iam communi vitae annorum numerum praeterisset.

SINE PENNIS HAUD FACILE EST VOLARE

Mansit vulgo celebre quod est in *Poenulo* Plautina: «Sine pennis volare haud facile est». Idem in *Asinaria*: «Defraudem te ego? Age sis, sine pennis vola». Locum habet quum deesse significamus adminicula, sine quibus negotium peragi non possit.

IGNEM GLADIO NE FODITO

Hoc est: Ira percussum ne laccessas; quin magis concedere convenit, et blandis verbis tumidum animum placare. Ita S. Hieronymus et apud Athenaeum Demetrius Byzantius. Diogenes Laertius expavit potentium et ferocium iracundiam non esse conviciis exagitandam, propterea quod

flamma, quo magis agitur, hoc magis atque magis invalescit.

Neque dissentit ab hoc interpretamento Plutarchus. Quamquam Plato (*De legibus*, VI) sic usurpavit, ut de iis dici solitum videatur, qui frusta moluntur quod effici nullo pacto queat, ostendens id lusus genus quoddam fuisse, ut ignem gladio dissecarent. Ad eumdem ferme sensum retulit S. Basilius in epistola ad nepotes, ut idem sibi velint, ignem gladio dissecare et cribro haurire aquam.

CIBUM IN MATELLAM NE IMMITTAS

Interpretatur Plutarchus, ne sermonem urbanum immittas in animum hominis improbi. Nam oratio cibus est animi; si corruptitur et putrescit, si in animum insincerum inciderit. Hoc est, quod apud Gelium admonet Epictetus, etiam atque etiam videndum, in cuiusmodi animum immitamus sermonem. Etenim si in vas impurum immiserimus, in acetum aut lotum vertitur. Huc adluit Horatius: *Sincerum est nisi vas, quocumque infundis acescit.*

DUABUS ANCHORIS FULTUS

De iis dicitur qui rem suam probe constabiliunt. Ductum proverbium a navibus intra portum tuto manentibus, a prora simul et a puppi porrectis anchoris.

PITANA SUM

Zenodotus indicat dici solitum de iis, qui in extremas redacti calamitates, ab iisdem denuo in pristinam felicitatem restituuntur. Sic enim evenisse quandam Pitaniae Aeoliae civitati. Nam hanc a Pelasgiis in servitutem redactam, Erythaei in pristinam libertatem vindicarunt.

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreon.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

INDEX RERUM VOL. XXVIII

(AN. XXVIII — FASC. I-XII)

	PAG.		PAG.									
Alloquia sociis et lectoribus	1, 15, 38, 48, 62, 73, 117	Epistolarum commercium										
Annales	13, 23, 36, 47, 61, 71, 82, 95, 105, 115, 127	Epistola V. Fehér ad A. Aureli de recentibus huius in «Alma Roma» scriptis	11									
Carmina		A. Aureli ad V. Fehér responsio	21									
Monte decurrens amnis (S. Giannelli)	6	Fabulae										
Vera gaudia - Momenta (Hirpinus)	19	Lupus et Vulpes. (M. Ginotta)	14									
Pio XII Summo Pontifici exeunte anno ex quo Petri solium ascendit, occasione allocutionis ad Patres Purpuratos die XXIV mens. Decembr. MCMXL habitae (V. Genovesi)	25	Leo et Vulpes. - In II operculi pagina fasc. III										
Parvo sub lare cena (V. Polydori)	41	De Astrologo et Viatore. - Id. fasc. IV										
Ad pueros mense Mariali (Hirpinus)	56	Asinus et Leo. - Id. fasc. VI										
Epigrammata: Gentis humanae profectus - «Idealismus» - «Communismus» - Ius (Hirpinus)	57	Historica										
Vagitus (Hirpinus)	67	Historiae notae (S. Romani):										
Cylarulus, sonipes vinctus (V. Polydori)	76	Quaenam Italiae fuerit condicio ab ineunte saeculo V ad Gallorum irruptiones	15, 26									
De latinis Musis excolendis sermo (I. Morabito)	83	De fontibus Romani iuris in prima Reipublicae periodo: de transitu a Regno ad Republicam	43									
Ruit aetas! (Hirpinus)	99	De novis magistratibus supremis: Praetores	52									
«Chocolata» (G. Wlpius)	113	De novis magistratibus supremis: Praetores, Quaestores, Consules	71									
Carmina Natalitia: Ad praesepe Christi - Ad Iesum puerum (Hirpinus)	122	De decem viris legibus scribendis	92									
Certamina poetica		Legis XII tabularum brevis dispositio	97									
Certamen Ruspantinum	18	Id.: De iudiciis (Tab. I-III)	107									
De certamine poetico Hoeufftiano	57	Iosephus Verdi XL recurrente anno ab eius obitu (I. A.)	29									
Colloquia latina		Caii Rabirii equitis Romani casus, vices, negotia (X)	63									
Occursatio (I. F.)	81	Pius VI Pontifex Maximus (G. P.)	89, 100									
Occursatio altera (I. F.)	94	De Farfensi Imperiali Coenobio (A. Aureli)	117									
Invitatio ad deambulandum (I. F.)	104	Ex NICOLAI Machiavelli opere «De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI»:										
Invitatio ad nuptias (I. F.)	115		— Admodum periculosum esse urbis moderatori, si antiqua odia novis iniuriis subinde renovet. - In II operculi pagina fasc. I.		Communiae vitae		— Homines subinde magis magisque ambitiosos fieri. - Id. fasc. II.		De tabaco nonnulla (P. Al.)	19		
	— Admodum periculosum esse urbis moderatori, si antiqua odia novis iniuriis subinde renovet. - In II operculi pagina fasc. I.											
Communiae vitae		— Homines subinde magis magisque ambitiosos fieri. - Id. fasc. II.										
De tabaco nonnulla (P. Al.)	19											